MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80274-26

AUTHOR:

NEUMANN, HERMANN

TITLE:

DE PLINII DUBII SERMONIS LIBRIS...

PLACE:

KILIAE

DATE:

1881

Master Negative #

97-80274-26

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Neumann, Hermann, 1858-
De Plinii dvbii sermonis libris Charisii et Prisciani fontibvs; dissertatio inavgvralis qvam.. pvblice defendet Hermannvs Nevmann... Kiliae, prostat apvd Lipsivm, 1881.
63 p. 23 cm.


Thesis, Kiel, 1881.


Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-2-91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)









150mm

6″





PHOTOGRAPHIC SCIENCES CORPORATION
770 BASKET ROAD
P.O. BOX 338
WEBSTER, NEW YORK 14580
(716) 265-1600

DE

PLINII DVBII SERMONIS LIBRIS
CHARISII ET PRISCIANI FONTIBVS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA REGIA CHRISTIANA ALBERTINA KILIENSI

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS CONSCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XIV MENSIS MARTII A. MDCCCLXXXI HORA XII

PVBLICE DEFENDET

HERMANNVS NEVMANN

ELMSHORNENSIS HOLSATVS.

ADVERSARII ERVNT:

RICHARDVS EHLER, cand. phil.

KAROLVS AHRENS, cand. theol. et phil.

ROBERTVS GLOMBIK, cand. phil.

KILIAE.

PROSTAT APVD LIPSIVM ET TISCHER.

EX OFFICINA C. F. MOHR (P. PETERS).

MDCCCLXXXI.

DE
PLINII DVBII SERMONIS LIBRIS
CHARISII ET PRISCIANI FONTIBVS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA REGIA CHRISTIANA ALBERTINA KILIENSI

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS CONSCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XIV MENSIS MARTII A. MDCCCLXXXI HORA XII

PVBLICE DEFENDET

HERMANNVS NEVMANN

ELMSHORNENSIS HOLSATVS.

ADVERSARII ERVNT:

RICHARDVS EHLER, cand. phil.

KAROLVS AHRENS, cand. theol. et phil.

ROBERTVS GLOMBIK, cand. phil.

KILIAE.

PROSTAT APVD LIPSIVM ET TISCHER.

EX OFFICINA C. F. MOHR (P. PETERS).

MDCCCLXXXI.

Imprimatur:
Dr. Backhaus,
h. t decanus.

C. Plinium Secundum VIII dubii sermonis libros conscripsisse e Plini Caecili epistola V libri tertii conpertum habemus, ubi in illius scriptorum enumeratione haec leguntur: »Dubii sermonis octo: scripsit sub Nerone novissimis annis, cum omne studiorum genus paulo liberius et erectius periculosum servitus fecisset«. In his libris res grammaticas tractatas fuisse iam diu cognitum erat et postremo diligenti ratiocinatione a Schottmüllero »de C. Plini Secundi libris grammaticis« (dissertatione Bonnensi a. 1858) confirmatum est. Neque enim diversi sunt ab eis quos Plinius ipse in nat. hist. praefatione § 28 »libellos quos de grammatica edidi« vocat atque contra quos et Stoicos et Dialecticos et Epicureos »parturire« dicit: id quod non solum inde demonstratur, quod Caecilius alia scripta ad artem grammaticam spectantia non adfert et tamquam pro excusatione addit, eo tempore sermonis dubii libros conpositos esse quo Nerone inperatore a liberioribus studiis homines deterrerentur, sed eo quoque conprobatur, quod annorum rationibus conputatis tempus quo Plinius maior de grammatica se scripsisse dicit in Neronis novissimos annos, quibus illi libri editi esse traduntur, incidit. Quia enim in praefatione nat. hist. a. LXXVII confecta philosophos adversus eos »subinde abortus facere iam X annis« narrat, a. LXVII eos prodiisse concludi potest: qui est annus a Neronis interitu proximus.

Dubii sermonis libros interiisse eo magis dolendum est, quo quanti ad historiam grammaticae Latinae momenti fuerint inde dilucide intellegimus, quod magnam observationum silvam posteriores grammatici ex eis hauserunt et multo saepius procul dubio quam ipsi indicaverunt eis usi sunt. Libellum autem differentiarum, qui in catalogo bibliothecae Bobiensis per errorem Plinio adtribuitur

et alibi sub Frontonis nomine fertur, cum Plinio sane nihil conmune habere Keilius in praefatione Charisi p. VII sqq. satius explicuit quam ut haec quaestio retractationem desideret.

De dubii sermonis libris in universum tractaverunt Gräfenhan »geschichte der klassischen philologie im alterthum« vol. IV p. 100 et alias, ac praecipue Lersch »die sprachphilosophie der alten« I p. 150, II p 157, qui etiam fragmenta conlecta I p. 179 sqq. exhibet, quibus nonnulla quae ibi omiserat addidit II p. 158 in adnot. Sed inde ab eo tempore multa nova subsidia nobis redundarunt, quibus non solum fragmenta emendare et adaugere. sed etiam in singula exactius inquirere licet. Denuo excussit thesauros per Keili editionem grammaticorum reclusos cum diligentia et sagacitate Schottmüller l. l., qui tamen opus promissum solummodo incohavit et unum Charisium perlustravit. Sed multi grammatici fragmenta servaverunt, quae examinare et conparare indeque quatenus Plini liber etiam non nominatus a singulis exscriptus sit eruere operae sane pretium est. Quod equidem conabor primum in Charisio, qui post aliorum quaestiones novas iterum curas flagitat, deinde in Prisciano institutionum grammaticarum auctore. Qua in re facere non possumus quin in illorum fontes altius inquiramus.

Antequam ad ipsam quaestionem adcingar, dubii sermonis librorum reliquias, quae neque in I parte neque in additamentis in II parte factis a Lerschio exhibentur, locis solum adlatis indicabo. Exstant vero his locis:

I. Charis. p. 53, 12 — II. ibid. 127, 17 — III. ibid. 141, 24 — IV. instit. artium in Keili gr. L. IV, 137, 11 — V. Serv. in Donatum K. gr. L. IV 444, 3 — VI. ibid. 447, 5 — VII. excc. cod. Leidensis apud Keilium in adnot. ad Servium in Donat. 444, 5 — VIII. Cledon. K. gr. L. V, 45, 11 — IX. ibid. 49, 27 — X. ibid. 50, 8 — XI. anecd. Helvet. 135, 1 — XII. Pompei. K. V, 172, 11 — XIII. ibid. 193, 36 — XIV. Audacis excc. K. VII, 355, 20. Eadem fere leguntur in arte Bonifatii in Mai class. auctor. VII, 546 — XV. Placid. Mai class. auct. III 476.

Cum haec fragmenta nova adcedant, unum ex eis quae Lersch l. l. II p. 160 in adnot. adfert, omittendum videtur. In eis enim quae Charis. p. 197 ed. Putsch. = p. 222, 26 ed. Keil. praebet: »Uniter contra grammaticorum, inquit *, observationem, qui negant

oportere nomina us syllaba terminata in er adverbialiter flecti« Fabricius post »inquit« nomen Plini inseruit idque haud dubie ex coniectura, quandoquidem post »flecti« perperam »libro VI«[1]) scriptum invenit et VI dubii sermonis liber in Romani de analogia capite p. 116 sqq. saepissime laudatur. Neque alibi in Romani de adverbio capite Plinius testis citatur.

His praemissis quaestionem ipsam ingrediamur et quae Pliniana ad Charisium et Priscianum pervenerint et per quos ad eos redundaverint investigare studeamus.

Pars I. De Charisio.

Longe maximam partem fragmentorum quae e Plinii dubii sermonis libris excerpta aetatem tulerunt Flavius Sosipater Charisius nobis servavit, qui grammaticus quamvis incredibili quadam inscitia fontibus suis usus diversissima quaeque conpilaret, tamen ob magnam antiquarum literarum et doctrinarum copiam quam coacervavit inter »artium« scriptores praecipuum locum obtinet. Namque cùm ceterorum plurimi recentes fontes secuti sint et unde hauserint fere omittant indicare, Charisius multis locis auctores quorum libros exscripsit nominatim adfert: qua re fit ut etiam alibi, ubi a quibus pendeat tacet, fontes indagare possimus. Ex auctoribus vero Charisi Romanus et Palaemon ad nostram curam pertinent.

De Romano.

Gravissimum est et nostra interest maxime. quod Charisius e Iulii Romani libris grammaticis, qui ἀφορμαὶ inscribebantur, tota capita excerpsit, quibus cum variorum vetustorum librorum tum Plinianae artis grammaticae multae ac pretiosae reliquiae continentur. Eo enim capite quod de analogia conposuit, Charis. I, XVII, inprimis Plinium secutus est, cuius doctrinae frustula per totum caput dissipata plus duas partes efficiunt. Cum hoc vero haud paucae observationes capitis XV libri I tam arto vinculo coniunctae sunt, ut necessitudinem aliquam cum c. XVII habeant necesse sit.

[1]) LIBRO VI ex VT PRO VT(inam) quod sequitur ortum est.

Atque cum in Romani de analogia capite Plinianarum copiarum usus tam late pateat et e conlatione in XV quoque capite nonnulla ab eodem grammatico petita esse eluceat, ante omnia nobis diiudicandum est, quae ratio inter haec duo capita intercedat.

Ac primum quidem Keilius in praef. Char. p. XLVII nonnullas capitis XV observationes e Romani de analogia, plures ex eiusdem de consortio casuum libro petitas esse coniecit. Ceterum quid ab ipso Romano Charisius in c. XV mutuatus sit, quid ex eius fontibus adceperit, pro certo decerni posse negat.

Quam rem retractans Schottmüller l. l. p. 20 sqq. praeter Romanum Charisium in c. XV Palaemonis arte usum esse censet; nonnulla etiam ipsum addidisse videri.

Prorsus diversam opinionem amplexus est Christ, qui in philol. vol. XVIII p. 122 sqq. caput XV non e Romano pendere, sed eidem quo hic usus esset deberi auctori, scil. Flavio Capro, probare conatus est. E quo fonte totum fere caput fluxisse putat.

Denique Morawski in Hermae vol. XI p. 339 sqq. rem denuo adgressus hoc recte vidit, Christi opinionem unius auctoris stare non posse et Schottmüllerum secutus Palaemonis aliorumque partes secrevit. Hoc autem posuit: totum c. XV in duas partes esse dividendum, priorem inde a p. 50 usque ad p. 63, 7, posteriorem hinc usque ad finem pertinentem. Prioris partis auctorem eis locis quibus Romanus nominaretur hoc esse usum, contra cetera quae nomine omisso cum Romano congruerent a Charisio ipso addita esse eaque ex eo fonte ex quo in altera parte pleraque ex. scripsisset, scil. Romani ipsius auctore. Praeter hunc vero conmunem fontem, unde exempla potissimum sumpta essent, Palaemonem a Charisio esse adhibitum: cui deberi regulas generales [1]).

Magna sane diligentia Morawski ostendit diversos fontes mistos esse et Christi sententiam iure refutavit. Atque quod iam Schottmüller recte iudicavit, Palaemonis in c. XV certa inesse vestigia, id Morawski excerptis quae dicuntur Charisianis conlatis confirmavit. Profecto unusquisque diligentius indagans ex nonnullorum praeceptorum diversa repetitione, ex apertis discrepantiis, denique e vario dicendi genere hoc caput unius hominis opus esse nequire cognoscet.

[1]) Cf. etiam Keil gr. L. VII p. 87 sqq.

Christ multa contendit quae argumentis omnino careant, velut de Schottmülleri sententia haec profert (philol. XVIII p. 122): »... gegen diese annahme lässt sich ein schwerlich zu beseitigender einwand geltend machen. Da nämlich Charisius das ganze c. XV l. I den einleitenden worten nach zu schliessen (p. 50, 8 — 51, 20) aus einem (?!) grössern werk über die latinität genommen hat, sich darin aber mehrmals auf die zum theil abweichenden lehren des J. Romanus bezieht, so muss er eben alles übrige mit ausnahme jener wenigen stellen aus einem andern grammatiker entlehnt haben« et inferius (p. 169), ubi ex consensu initii c. XV (p. 50, 25) cum Diomedis loco (p. 439, 16) Caprum auctorem fuisse demonstraturus est, sic conligit: »Dass dieses Diomedes aus Varro selbst nicht genommen habe, scheint sicher: er konnte es aber nicht leicht anderswoher nehmen, als aus Caper (?!), der ein buch de Latinitate geschrieben und sehr oft in seinen büchern auf den Varro zurückgegangen war«. — Hac ratione nihil demonstrari apertum est. Quamquam in c. XV insunt quae cum Capri doctrina conspirent, id quod deinceps videbimus, tamen qui diversos fontes distinxerunt sine dubio recte iudicaverunt.

Sed Morawskio in universum tantum adsensus sum. Quae ex c. XV nostra potissimum interest tractare, sunt antiquioris doctrinae illa frusta, quorum cum universa ratio tum haud pauca exempla cum c. XVII concinunt quaeque inprimis posteriorem c. XV partem efficiunt, etiamsi in priore quoque talia inveniuntur. Haec autem, quae Schottmüller Keilium secutus e Romani libris deprompta existimat, Morawski ex eo libro profluxisse censet qui Romano quoque pro fonte erat: qua in re ad Christium (l. l. p. 122) provocat, qui Romanum et c. XV autorem conmuni fonte usos esse contenderat.

Iam videmus quanti intersit ut hanc quaestionem ad finem perducamus. Etenim quicumque Morawski sententiam conprobant, neque Plinium neque ceteros scriptores quorum praecepta et XV et XVII c. occurrunt a Romano ipso usurpatos esse, sed per fontem illum conmunem ad eum pervenisse existimabunt.

Sed videamus primum, quibus causis Christ et Morawski conmoti sint ut c. XV auctorem Romano usum esse posse negarent. Potissimum in eo nituntur, quod alia in XV, alia in XVII c. uberius tractantur, unde effici opinantur conmunem fontem maiorem copiam

habuisse et singula ampliora exhibuisse, e quibus varia ab utroque scriptore electa sint. Neque ego dubito quin c. XV conplures observationes et c. XVII, quale quidem nunc exstet, e conmuni fonte fluxerint. Sed Romani de analogia librum fontem non fuisse tum demum concedi posset, si c. XVII quale apud Charisium exstet tale a Romano scriptum esse constaret. At hanc opinionem falsam esse neque Romani tractatum cum c. XVII confundi oportere coarguere conabor: quod si probabitur, iam firmissimum fundamentum eius suspicionis quam Morawski defendere studet subtrahetur.

Quamquam Charisius pleraque ad verbum transcripsit et ne ea quidem mutavit, ubi Romanus alia ex suis scriptis laudaverat, tamen nonnulla eum vel omisisse vel contraxisse cum conicere licet ex huius capitis conditione tum demonstrari potest. Ac primum quidem multa confusa et difficilia non Romano diligentiori, ut videbimus, grammatico, sed Charisi neglegentiae et inscitiae vitio esse vertenda in propatulo esse puto: in quibus e. g. quae p. 120, 17 s. v »aedile« mutila leguntur et nonnullae aliae de abl. sg. III regulae. Deinde p. 145, 21 nonnulla omissa videntur, quia, quamvis »Caper his exemplis docet« antecedat, unum tamen solum sequitur. Tum p. 124, 26 ad a literam relegamur de verbo »celebre«, quod tamen s. v. »alacer« 122, 1 non legitur; et nonnulla hoc loco omissa esse etiam ex sequentibus verbis »ex quibus si qua solent in nomen hominis transire« manifestum fit. Aliis quoque locis — a Charisio nimirum — exempla esse omissa cernimus, velut p. 123, 11 exemplum Plautinum e Bacchidibus, p. 141, 25 Nepotis; 138, 11 aut verba a Charisio conrupta aut contracta esse necesse est, quia Plinius non potuit Frontonem laudare. Sed ne haec dubia remaneant, certissima testimonia adponam, quibus Charisius non omnia exscripsisse coarguitur. Nam quae p. 114, 1 e Romani de analogia libello laudantur, in c. XVII omnino non exstant, quae p. 53, 12 leguntur, non omnia (v. p. 140, 5. 144, 17). Hoc vero loco Romani laudationem ad librum de analogia spectare ideo certum est, quod exempla in c. XVII l. l. repetuntur et Plini dubii sermonis liber VI conmemoratur, ex quo maxima illius pars hausta est. Denique quae p. 56, 4 inveniuntur (cf. Keili addenda p. 608): »Romanus autem in libro de analogia [VII] [1]) refert sic: amforum, ut Plinius

[1]) Numerus »VII« apud Putschium et in excerptis Cauchianis non eum ἀφορ-

eodem libro VI et Livius. sed et ceteri adsidue amforum (dicunt), si coniunctim, ut »X milia amforum modium sestertium nummum«; si per se, amforarum«, haec in c. XVII p. 129, 11 leviter tantum perstringuntur: ».... et sestertium, inquit, tot milia«.

Postquam igitur vidimus Romani de analogia librum pleniorem fuisse quam qualem apud Charisium habemus, non opus est conicere, si qua ex eis quae in c. XV cum c. XVII concinant — quae Schottm. p. 21 sqq. conlegit — illic uberiora exhibeantur, Romanum cum c. XV auctore conmuni fonte esse usum. Adquiescendum est ita, ut dicamus caput XVII saltem et c. XV ad eundem fontem redire. Proximus autem c. XVII fons est ipsius Romani scriptum. Porro quod Christ philol. XVIII p. 122 dicit: »Da.... Romanus p. 146,3 an einer stelle, die mit 71,20 genau übereinstimmt, den Vergilius nicht nach seiner eigenthümlichen weise mit dem cognomen Maro citiert, so erklärt sich dieses nur daraus, dass ihm hier der name Vergilius aus der Schrift des grammatikers unterlief, den er gerade an dieser stelle benutzte« id nihil demonstrare potest: nam capitis XV auctor semper poetam Vergilium vocat et ex quovis fonte Romanus Vergili nomen, si quidem invenit, transcribere potuit. Ceterum ego potius Charisi neglegentia illud conmissum esse crediderim. Quod denique Christ l. l. p. 123 adfert p. 90,4 et p. 131,17 Charis. conlatis, ubi sane Catonis ex »Admirandis« exemplum in conmuni fonte intercidisse videtur, Romanum iam in fonte suo lacunam invenisse videri, id ex eis quae modo exposui pro argumento esse non potest: etenim, ut aliquid interiisse verum sit, cur non ipse Romani liber Charisi fons lacunam habuisse potest? —

Iam vero postquam Christi et Morawski sententiam non necessariam esse vidimus, conabor demonstrare omnino nullo modo eam probandam esse et ad quantas, si eam amplectaris, discrepantias depellaris ostendam. Praecipiam eos c. XV locos, quibus nomine adposito Romanus auctor proditur: p. 53,12. 56,4. 61,5. Quos Morawski l. l. p. 342 — haud dubie iniuria — non a Charisio inlatos, sed apud prioris partis auctorem repertos esse censet. Contra Keilius praefationis p. XLVII et Schottm. p. 21 eos a Charisio in-

μῶν librum, in quo de analogia tractatum erat, significare, sed e sequenti »VI« perperam inculcatus esse videtur. Cf. etiam Keil praef. Charis. p. XLVI adnot

sertos merito arbitrantur. Nam idem Charisius prorsus eodem modo eis quae fortasse a Cominiano desumpsit p. 114,1. 28 (cf. Schottm. p. 25) quaedam a Romano deprompta adsuit. Tum vero Romani in c. XV conmemorationes non ausim abiudicare ab eo qui p. 51,5 dicit: »plenius autem de analogia in sequentibus Romanum disseruisse invenies.« Hunc autem Charisium esse non modo per se intellegitur, sed insuper eo ostenditur, quod Diomedes, qui cetera repetit, hoc enuntiato p. 439,22 caret.

Iam consideremus reliqua antiquioris doctrinae fragmenta, quae Romano deberi adsevero. Qua in re nimirum proficiscendum est ab eis c. XV et c. XVII titulis qui tam similes sint ut cognationem quandam interiorem intercedere necesse sit. Inveniuntur autem in illis quae concinunt inprimis Pliniana: 64,26 = 144, 30 Turbo, 55,4 = 138, 18 osse, 73,12 = 125,3 compluria, 95,22 = 128,27 ficos fagos, 100,9 = 123,8 Arabis, 105,4 = 139,11 oscinis, 107,6 = 136,22 mugil, 107,9 = 120,8 Augustas Maias (Sisenna); alia a Capro desumpta: 63,26 = 117,24 Allecto, 65,29 = 145,23 testu. Scauro debetur 91,18 ques = 133,3 im; Acroni 65,16 = 119,20 ambos. Haec vero et reliqua in libro de analogia a Romano ex fonte illo ficto transcripta putat Morawski et sententia sua praecepta sane coactus eo usque progreditur (l. l. p. 345) ut iam auctorem illum conmunem titulos literarum ordine digessisse arbitretur. Sed tum Romanus conpilator non melior fuisset quam Charisius. Qua de causa opus est diligentius quaerere quonam modo Romanus lucubraverit.

Quod ad Plinium adtinet, quisquis c. XVII curiosius introspexerit, dubii sermonis libros Romano ad manum fuisse cognoscet. Ex quibus plus duas partes mutuatus est, ita ut ceterorum auctorum frustula prae Plinianis prope evanescant. Ubique autem fere ipsa Plini verba libri (VI) numero saepe addito laudantur et, quod grave est, nonnumquam conplura Pliniana (idem fere spectantia) uno tenore se excipiunt, velut p. 118 amicities Amazon autumnal aqualium, p. 120 aestifer Augustas aedile avi (v. infra p. 19) agile annalei agreste, p. 122 Aurelii amans aplustre ar — avi amni aenigmatis Arabis, p. 129 fretus fabrum filiabus febrim fonteis funes. Conferendum quoque est quod Schottm. p. 34 observavit sub litera a ordinem ad casus institutum animadverti, ut Romanus

in exscribendo Plini librum oculis percurrisse videatur. Quomodo vero fingi possit Romanum Pliniana quaeque ex indice copiosiore per literas disposito expiscatum tam bene iuxta conposuisse? — Quid? quod Romanus ap. Char. p. 121,15 ipse profitetur dumtaxat ablativi sg. III decl. exempla conlecta sese excepisse — nam haec sententia sine dubio codicis conruptela continetur — nimirum a Plinio, ut R. Merkel et postea Schottmüller recte coniecerunt. Exstant quidem in cod. N haec: »Ablativi casus per omne specimen et quidem qno i qno e tminari debeat coll..... pimus«, ubi Keil primus »collectos excepimus« scribens et lacunae spatio et sententiae in universum satisfecit. Schottmüllero p. 35 sq. haec suspicio probatur, qui cum Keilio etiam »ablativos« et »debeant« legit, praeterea in initio, ut haec verba cum prioribus »Plinius (eodem libro)« conectat, »unde« addit. Sed iam antea sensum eodem modo, verba ut mihi videtur, multo probabilius restituerat quem modo nominavi R. Merkel (v. Keili addenda ad h. l. p. 608), cuius coniectura Schottmüllerum praeteriisse videtur. Ille enim sic legendum proponit: »unde exempla ablativi casus — collecta excepimus«. Hac autem emendatione codicis scripturae »ablativi« et »debeat« retinentur, quas a librario sic conruptas esse vix credideris. Atque »unde«, si semel aliquid intercidit, eo magis conmendatur, quo Romanum in hoc enuntiato vocem »ablativi« lemmatis instar posuisse plus quam inprobile est.

Sed utut de his aliquis exstimat, hoc constat Romanum illa ablativi exempla ex uno eodemque libro transcripsisse, quem Schottm. (v. infra p. 18) Plini dubii sermonis librum VI, totius capitis primarium fontem, propterea rectissime censet fuisse, quod hic in nonnullis exemplis huc spectantibus et cum ceteris arte cohaerentibus laudatur, praeterea nemo. Quae cum ita sint, Christi conmentum (l. l. p. 121), qui Romanum de suo aliquo tractatu de ablativo solo conscripto cogitare putat, concidit. Ad quod ne »excepimus« quidem convenit: immo »collegimus« exspectari debuit.

Ergo nihil manifestius esse potest quam ipsos Plini libros a Romano esse adhibitos, idemque de ceteris auctoribus qui in capitis XV et c. XVII locis conspirantibus nominantur, Capro, Scauro, Acrone adfirmare licet, praesertim si totam Romani rationem, qua in libris conponendis utitur, respicias. De qua viri docti,

quamquam Romanum diligentem grammaticum fere dicunt, nondum dedita opera disquisiverunt. Quam ob rem mihi liceat, ut quae statui confirmem, nonnulla de eius excerpendi genere proponere, e quibus pateat quae scripta alias ipse legerit et excerpserit.

Optime et dilucidissime Romani viam et rationem perspicere possumus in tractatu de adverbio apud Char. II, XIII p. 190 seqq., qui et ordine literarum instituto et tota specie alteri illi de analogia conscripto admodum similis est et ipse quoque exquisitam quandam antiquorum scriptorum electionem praebet. Si vero in auctores illic laudatos inquisieris, statim cognosces conplurium scriptorum certas quasdam series per totum caput extendi, id quod apud neminem fere alium grammaticum — praeter Nonium Marcellum, cuius excerpendi usum P. Schmidt »de Nonii Marcelli auctoribus grammaticis« scite descripsit — conspicitur. Nam ceteri plerique cum ex antiquioribus potissimum artibus varia praecepta conligerent, exempla diversissima una exscribebant, ipsos auctores non adibant. Itaque factum est ut eadem exempla apud multos repetantur. At Romanum in tractatu de adverbio — aeque atque alibi — maximam partem exemplorum ab ipsis auctoribus petiisse aut ex commentariis excerpsisse luculenter ostendi potest.

Naevianarum fabularum Acontizomenos, Agitatoria, Corollaria, Tarentilla saepius laudantur; adcedit unum exemplum e Figulo, cum ceterarum nullum testimonium exstet. Earum quas nominavi nullam invenimus apud Nonium. Eandem vero seriem non minus quam ceteras plerasque per capita de coniunctione p. 229, 3 sqq. et de interiectione p. 239, 1 sqq. continuatam fuisse videre licet. Videntur haec petita esse e commentario qui fabulas supra dictas continuit, quia p. 198, 16 s. v. »efflictim« Probi explicatio adiungitur et alibi quoque adnotationes subiectae sunt, velut 197, 9. 199, 24. 239, 19, ubi incertum testimonium »Plautus in quadam« in commentario illo exhibitum esse videtur. — Exempla Plautina praeter pauca e diversis fabulis desumpta magnam partem (XXIV) ad Bacchides pertinent, alia ad fabulam aliunde non cognitam »Caecum vel praedones«. Deinde ex Amphitruonis duobus prioribus actibus (hinc dilucide cognoscimus excerptorem!) inveniuntur VI exempla, quae quia quater Sisenna laudatur 203, 27. 221. 6. 9. 198, 24 ex huius commentario Plautino desumpta et deinceps ex-

scripta esse credendum est. Eiusdemque Milesiarum librum XIII (!) saepius in nostro capite excerpsit. — Titinii quoque fabulas, praecipue Barbatum et Setinam, excerpsisse arguitur et Afranii inprimis Emancipatum et Vopiscum. — Ciceroniana sine dubio ex diversis fontibus fluxerunt. Etenim quae e Tusculanis — XIV loci e solo II libro! —[1]) et de senectute — XII loci — laudantur, a Romano ex ipsis libris exscripta sunt, quia non pauca verba, sed continui loci proponuntur. Alia haud pauca a Statilio Maximo, qui »de singularibus apud Ciceronem quoque positis« (v. p. 194, 11. 218, 6) scripsit, descendunt, quae eo distinguuntur, quod solummodo verba de quibus agitur paucis additis et libri inscriptione omissa ponuntur. Ab eodem Statilio, cuius nisi apud Romanum fragmenta — quantum equidem scio — non restant, pauca Catoniana etiam libri nomine omisso recepta sunt, in quibus Cato semper »senex« vocatur: quare 219, 19 quoque et 221, 8 Statilio tribuere nullus dubito. Contra aliunde sumpta sunt exempla »M. Catonis dierum dictarum de consulatu suo«.

In grammaticis libris idem fere cernitur. Leviora velut Caesellii Vindicis, Celsi, Marcii Salutaris conmemorationes praetereo; item Varronis, Probi, aliorum, quorum notitiam Romanus fortasse e recentioribus scriptis hausit. At quin Acronis in Terenti Adelphos et Eunuchum commentarios ceteris grammaticis non cognitos (!), quos in universum ter deciens laudat ad verbum fere exscriptos de eisque 192, 30 iudicium fert »Helenius Acron commentariis, quos Adelphis Terenti non indiligentes attulit«, prae manibus habuerit dubitari non potest. Quorum locorum IV in libro de analogia exstant, quos Morawski, ut iam videmus, perperam e conmuni cum c. XV fonte fluxisse putat (de analogia p. 119, 12. 20. 126, 17. 130, 12 — de adv. p. 192, 30. 197, 25. 200, 16. 201, 3. 210, 11. 15. 216, 9. 219, 5 — de coni. p. 229, 23). Atque Eunuchi loci ad actus I et II solos pertinent, Adelphon plurimi ad V actum: 126, 17. 130, 12. 119, 12—20 = 193,2 = 219, 5 »ego vos usque a pueris curavi ambos sedulo«. Cum 119, 20 autem consentit c. XV 65, 16 (v. p. 10). — Nec minus Flavi Capri librum »de Latinitate«, e quo plerumque ipsa verba exscribuntur quique a recentioribus

[1]) Unus locus IV libri Statilio Maximo debetur p. 219, 25.

grammaticis saepe excutiebatur, a Romano usurpatum esse censendum est (de adv. p. 194, 31. 195, 19, 199, 10. 207, 31). Qui idem in libro de analogia p. 118, 1. * 123, 19 (cf. Keili adn. crit.) 132, 6. 145,20. 23 laudatur. — Idemque valet de Terentio Scauro [1]) (de analogia p. 133,1. 136, 16 »inquit . . . additque« — de adv. p. 202, 28. 209, 14. 209, 14. 210, 21 »inquit . . . . et addit«) et de Aemili Aspri commentario in Sallusti historias, cuius ipsa verba adferuntur (de adv. p. 196, 23. 209, 6. 215, 6. 216, 25. 28).

Propterea haec tam fuse tractavi, ut quanta diligentia quantaque curiositate Romanus varios libros perlegeret ex eiusque excerperet ostenderem. Eorum autem librorum grammaticorum, quos postremo enumeravi, excerpta — ut p. 10 demonstravi — in c. XVII et XV consonantia exstant, in hoc ut solitum est nomine omisso, quae Morawski aeque atque Pliniana ex uno illo indice »alphabetico« descripta putat. Id quod iam his refellisse mihi videor.

De c. XV in universum addere volo etiam aliis locis Capri et Aspri — de Plinio post quaeremus — doctrinam adparere. Capro enim ea adscribere licet quae cum libellis de orthographia et de dubiis verbis, qui sub Capri nomine feruntur, concinunt. Illi enim maximam partem observationibus vere Capro debitis conferti sunt (v. infra), etiamsi nonnulla nimis conrepta ac mutilata inveniuntur. Congrua vero sunt haec:

Char. 57, 23 = C. 110, 17 (Keil gr. L. VII): Ostrea et ostreas, quia nullum animal speciale neutrum est.
(Apud Char. animadverte »ab eruditis«).
Ch. 71, 26 = C. 99, 1: Terga hominis tantum, singulariter tergum facit, quadrupedum erit tergus, pluraliter tergora, i. e. coria.
Ch. 72, 23 = C. 110, 12: Menda et mendum recte.
Ch. 76, 19 = C. 109, 6: Delirare et delerare ἀπὸ τοῦ λήρου.
Ch. 83, 3 = C. 110, 8: Itiner ratione, iter consuetudine.
Ch. 87, 22 = C. 110, 3: Glutinum non glus; Vergilius gluten dixit.
Ch. 90, 20 = C. 111, 9: Sanguis hic, non sanguen.
Ch. 94, 21 = C. 109, 16: Forcipes fabri.

[1]) Cf Ritschl parerga Plautina I p. 157.

Ch. 96, 9 = C. 107, 12: Alica non halica.
(Verri notitia ad Romanum pervenit plerumque per alios, v. Char. p. 119, 13. 126, 9. 141, 20 (Plini). Nostro loco cf. »et sic multi«).
Ch. 96, 13 = C. 106, 4: Polenta non pulenta dicendum est.
Ch. 98, 17 = C. 110, 1: Freni hi et haec frena et hoc frenum: nam hic frenus non est.
Ch. 101, 4 = C. 108, 17: Clunis hic, non haec.
Ch. 102. 1 = C. 97, 17: Cilo est capite angusto — chilo modum labiorum excedens.
Ch. 105, 5 = C. 106, 13: Scriptula dicendum, non scripula.
Ch. 108, 4 = C. 110, 12: Margarita haec feminini et haec pluraliter neutri.
Ch. 109, 14 = C. 111, 11: Striges non strigae: striga intervallum turmarum, ubi equi stringuntur.

Praeterea conferendus est Char. 74, 28 cum Priscian. I 260, 17 »penus quoque et masculini et feminini et neutri invenitur teste Donato et Capro«, ubi idem exemplum Plautinum subsequitur.

Sed etiam Aspri in c. XV detegimus vestigia, a cuius libris Romanus non adspernatus est. Nam 68, 19 consonat cum Servio ad Aeneid. VIII 383: »hinc est »filia Neri, immitis Achilli«. item in Sallustio: »ad bellum Persi Macedonicum«. sic Asper«. Quae sine dubio ex Aspri in Sallusti historias conmentariis sumpta sunt. Ex eisdem fluxisse videtur 107, 12 = Serv. ad Aen. XI 801: » . . . secundum Sallustium, qui ait »castella custodias thesaurorum« pro »custodiae«. ita enim etiam Asper intellegit«.

Romanus igitur multos libros ad tractatus suos conscribendos adhibuit neque neglexit de eorum quos secutus est sententiis interdum iudicium ferre suamque ipsius opinionem, ubicumque necesse esse videbatur, opponere, velut in c. XVII p. 131, 12. 140, 2 et maxime p. 141, 21 (ubi de »panium« et »panum« disseritur) »neutrum autem puto posse dici, quia de his est nominibus, quae cum pondere [numero] [1]) mensuraque constent semper sunt singularia«. Iam vero cum his verbis si conparatur c. XV p. 90, 8 (in

[1]) »numero«, quod hoc loco sensu caret, censeo ante »singularia« esse conlocandum.

eadem quaestione) »ego autem neutrum probo nec puto panem plurali numero dici posse, quoniam unica res est et ad pondus redigitur, nec quisquam veterum nisi singulariter dixit«, quis iure dubitet num c. XV auctor e Romani libro ista verba exscripserit? —

Morawski, ut iam diximus, l. l. p. 351 recte observavit in c. XV nonnumquam »literarum ordinem alphabeticum« exstare, adeo in eis quae cum c. XVII congruant. Neque casu factum esse videtur quod p. 70 sq. »pubes« et »Patavi« eodem ordine quo c. XVII p. 140 sq., et p. 87 »femur« et — post nonnulla Palaemoniana — »gluten« eodem ordine quo p. 131 sese excipiunt. Quid vero? nonne inde etiam luculenter adparet capitis XV fontem fuisse Romanum, cuius libros sic digestos fuisse certum est. Nam ut Romanum non ex indice »alphabetico«, sed ab ipsis auctoribus sua petiisse elucet, ita eum ipsum, non Charisium demum, literarum ordinem instituisse demonstrari potest. Primum enim etiam in tractatu de adverbio eundem ordinem cernimus, quem illic quidem a Romano conditum esse ipsius verbis p. 194, 19 (cf. 190, 8) conperimus. Deinde lemmata anteposita non solum in c. XVII inveniuntur, sed etiam ubi alias singula eliguntur, velut p. 61, 6: »Romanus ita refert. Mare. Varro« e. q. s. (= 137, 12), p. 114, 1: »Romanus libro de analogia ita inquit: Alacris, licet« e. q. s. Tum vero in c. XVII eos locos quibus ad alias literas relegamur a Romano, non a Charisio, profectos esse sine dubio existimandum est, praesertim si — ut similia, quibus ad alios suos libros Romanus relegat, mittamus — p. 137, 18 respicias »contra finitionem quam sub titulo ruris dixit« (scil. Plinius): quae verba eadem etiam in c. XV p. 61, 11 exscripta reperimus.

Sed quaeramus iam — eis quae Palaemoni debentur omissis — num qui alius Romani liber praeter tractatum de analogia in c. XV adhibitus sit. Tractantur nomina, adverbia, coniunctiones. De adverbiis autem quaeritur his maxime locis quos indicabo: p. 79, 10. (81, 6). 81, 28. (30). 101, 1. 109, 10. Quid? quod horum nullus in Romani de adverbio tractatu non reperitur, eodem fere ordine et prope eisdem exemplis inlustratus. Confer enim

p. 79, 10 cum p. 195, 12 ampliter (»sed veteres hoc non observaverunt«) et 197, 22 duriter,
81, 6 cum 218, 11 sincere,

81, 28 cum 207, 24 nudius tertius,
81, 30 cum 215, 15 perendie,
101, 1 cum 204, 22 large,
109, 10 cum 211, 27 plure.

Haec sine dubio e Romani de adverbio libro extracta sunt. Si qua in c. XV adparent uberiora, eodem modo explicanda sunt quo ea quae e libro de analogia desumpta sunt: Charisius enim etiam in capite de adverbio aliqua omisisse videtur. Deinde vero c. XV auctorem liberius egisse etiam alias videre licet. Quamobrem duo reliqua 111, 16 »intro, intus« et 111, 21 »peregre« indidem deprompta putare non dubito, praesertim cum Romanus 201, 5 et 212, 18 de his eisdem adverbiis agat et prioribus locis cum Graeca explicatio tum exemplum copiose exscriptum hunc prorsus redoleat.

Quodsi quaerimus qui Romani liber tantam silvam exemplorum ad nominum quaestiones pertinentium suppeditaverit, iam Keil praef. Char. p. XLVII et Schottmüller p. 24 praeclare iudicaverunt haud parvam partem e tractatu de consortio casuum fluxisse. Romanus enim p. 132, 30 s. v. »Irim« dicit: »licet Varro et Tullius et Cincius, ut de consortio casuum diximus, huius Sarapis et huius Isis dixerint«: quibuscum si uberiorem expositionem p. 89, 24 conparamus, ubi Varro »de vita sua« huius Sarapis et Isis declinasse dicitur, facere non possumus quin haec paucis omissis ex illo tractatu excerpta esse putemus. Mirum in modum Morawski p. 350 hoc loco demonstrari opinatur Romani de analogia libellum et c. XV ad eundem fontem redire.

Romanum etiam περὶ ὀρθογραφίας quaestiones scripsisse e Char. p. 135, 15 concludendum est (cf. Teuffel, Gesch. d. röm. Lit. § 379, 1). Harum quoque reliquias in c. XV remansisse conicio. Nonnulla enim reperiuntur, quae neque cum libro de analogia neque cum scripto de consortio casuum consentanea sint, sed ad illum optime conveniant, velut 77, 14. 96, 9. 13. 97, 15. 98, 12. 104, 5. 105, 1. 5. 14.

Eis quae hucusque contuli argumentis haud levibus, ut mihi videtur, demonstratum esse arbitror Schottmüllerum recte suspicatum esse, cum diceret (p. 23): »omnia quae in eo (c. XV) doctrinam paullo antiquiorem redolent et vestigia eruditionis uberioris prae

se ferunt, in quibus praeter Vergilium ceterosque volgares scriptores alii quoque conmemorantur, Romani sunt«.

Neque vero Charisium ipsum haec omnia quae c. XV. continentur Romani doctrinae fragmenta excerpsisse crediderim, sed alterum nescio quem. Ac primum quidem ubique Vergilius, non Maro (sicut in c. XVII) dicitur; deinde tota excerpendi ratio diversa est, velut e. g. in c. XV saepissime auctorum nomina tacentur; tum vero non probabile est Charisium bis eadem exscripsisse, praesertim cum quae in c. XV a Romano ipso petivit a ceteris distinxerit et ad verbum transcripta auctoris nomine instruxerit.

De Plinio Romani auctore.

Postquam quae ratio inter I libri c. XV et XVII intercedat cognovimus, de Plini reliquiis quae in illis capitibus servatae sunt nobis agendum est idque ita potissimum, ut quae praeter ea, quibus nomen additum est, dubii sermonis libris tribuenda sint indagare conemur. Ordiamur a capite XVII.

Eas observationes quae ad abl. sg. III decl. i vel e terminatum spectant, iure Plinio adtribui a Schottmüllero iam supra dixi: id quod eo confirmatur, quod omnes fere ad unum eundemque canona conformatae sunt. Confer enim e. g. 121, 21. 124, 22. 127, 7. 9. 26. 143, 5. 7. 8. 11. 146, 15. 17. 19 cum eis quibus Plini nomen adpositum est 120, 26. 30. 121, 14. 143, 1. 146, 21. Deinde nonnumquam post exempla Plini nomine carentia adseritur »ut Plinius in eodem« vel tale quid, cui adcedit quod ablativi exempla conpluria uno tenore se excipiunt. Alia argumenta Schottm. p. 37 ab auctoribus laudatis petivit.

Fragmenta quae de ablativo exhibentur quamvis lacerata ita sunt conparata, ut omnibus conprehensis certae cuiusdam regulae cognitionem adquirere possimus. Plini praeceptum rectius quam Detlefsen (symb. philol. Bonn. p. 700 sqq.) Brambach reconcinnare conatus est. De adiectivis enim III declinationis Detlefsen cum sic statueret (p. 703), si ad hominem referrentur, ea in e, si ad rem, in i finiri, coactus est p. 143, 1 »rudis — — a rudi homine, a rudi animo, a rudi consilio« adversus Romani auctoritatem a Plinio ab-

iudicare [1]) et p. 146, 21 »Venali. per i, non etiam per e ablativus est finiendus, quoniam et de homine, inquit Plinius, dicimus et de negotio« sic conmutare — auctore Lerschio — »Venali. per i non (solum, sed) etiam per e . . .«. Sed recte Brambach Lat. Orthogr. p. 164 omnibus exemplis conlatis et adcurate perpensis ita de Plinio docet, »dass er nur da e anwandte, wo ein bestimmtes individuum, sei es durch einen eigennamen, sei es durch einen gattungsnamen mit bestimmter beziehung, bezeichnet wurde. Dagegen hatte i seine stelle in allen adjectiven, welche sich auf sachen bezogen oder allgemeiner natur waren, dh. nicht einem bestimmten individuum zukamen«. Sic non solum exempla modo dicta, sed etiam quae cum eis conspirant, 130, 22 »fragili« et 138, 4 »navali« intelleguntur, nec minus reliqua omnia, si quidem a malo statu fragmentorum e contextu divolsorum et, ut videtur, contractorum discedimus. »Rudi« p. 142, 8. 9 a Schottm. iniuria damnari in promptu est. Ob eandem vero causam ea quae p. 120, 24 s. v. »avi« scripta exstant non debemus Schottmüllerum secuti a Plinio abiudicare. Etenim quamquam p. 122, 29 a Plinio »ave« praecipitur, tamen idem formam i terminatam non prorsus reiecisse videtur, praesertim si eorum, quae p. 120, 24 leguntur, artum cum prioribus (»aedile«) conexum et interiorem consensum respicias.

Schottm. p. 39 de exemplis adcusativi in eis exeuntis agens praeter ea quibus Plini nomen adpositum est, etiam »ferocioreis« 129, 31, »ferienteis« 130, 1 et ex parte »omnes« 139, 22 illi vindicat. Qua in re de prioribus duobus sine dubio recte iudicavit, quippe quae inter alia similia conlocata uno tenore e Plini libro transcripta esse adpareat. Tertium autem usque ad 140, 2 ideo pro Pliniano habet, quod sub titulo »monteis«, qui ad Plinium redit, »omne(i)s« quoque tractatur. Equidem vero totum illud praeceptum 139, 22 sqq. maiore iure Aspro dandum censeo, quia exempla electa Sallusti sunt, ad quem Asper, qui laudatur, commentarios scripsit; neque coniunctio »sed« adversatur, cum multo graviores indiligentiae saepius occurrant.

[1]) Mirum in modum Detlefsen erravit. Qui, cum Schottm. p. 38 ea quae Char. 142, 8. 9 exstant a Plinio abiudicaverit, disertis verbis p. 703/4 contendit, 143, 1 sqq. ab illo esse damnata. Et Brambach Lat. Orthogr. p. 160 istum errorem repetit.

Tum recte ab eodem l. l. hi tituli adiudicantur Plinio: »cicatricum« 125, 1 ob conlocationem, »radicium« 142, 14 conparato »cervicium« 124, 28, »civitatium« 125, 16, utpote quo loco »Cornutus de Vergilio libro X« laudetur, cuius praeterea semel tantummodo apud Charisium mentio fit 127, 20 idque a Plinio. His locis conlatis etiam in Placidi glossis (Mai class. auctor. III 476) »Ingluviem Cornutus ventrem, Plinius edacitatem«, quae ad Vergil. Georg. III 431 referri iam Iahn recte suspicatus est (v. Ribbeck proleg. ad Vergil. p. 128), Cornuti commentarios, non libellum orthographicum, designari et a Plinio laudatos esse probabilissimum duco (cf. Keil gr. Lat. VII p. 133). — Deinde titulum »panium« 141, 20 Schottmüller Plinianis iure adiunxit — sed verba »neutrum autem puto« e. q. s. hac quidem forma Romani sunt —, quia cum inter alios ad eandem quaestionem spectantes conlocatus est tum Caesaris de analogia libri ibi laudantur. Nam horum notitiam Romanum ubique a Plinio adcepisse Schottmüllero concedendum est. Id vero quod exstat 143,33 Caesaris fragmentum non intellego qua de causa et a Keilio (in indice) et a Schottm. (p. 39 extr.) libris de analogia tribuatur, praesertim cum ipsa verba laudata et quae secuntur »nisi forte quidam adverbialiter legere (»intellegere« Ritschl) maluerint« ostendant ex alio quodam Caesaris scripto illud exemplum petitum a grammaticis esse adhibitum ad vocis »sireps« usum inlustrandum. Quare recte Huschke (Mus. Rhen. nov. VIII p. 463) verba »ergo sireps lex esto quasi sacram violaverit« ex lege aliqua a Caesare lata petita esse putat, id quod Ritschl quoque (ibid. in adnot.) concedit. De reliquis autem locis, quorum in plurimis Plinius auctor nominatur, Schottmüllerum recte existimasse confido. Titulus »lacer« 135, 20, quo illius argumenta confirmem, eo Plinianus esse certo coarguitur, quod eadem regula quae hic datur »ultimam enim vocalem si ablativus amiserit, dabit scire qualis esse debeat nominativus« s. v. »mugil« 136, 22 Plinio adscribitur. Qua eadem doctrina cum »lacer« antecedens »later« cohaeret, quod recte propterea Schottm. p. 42 eidem adsignat.

Sed ut ad genetivos revertar: etiam »digitum« 126, 25, »poematorum« 141, 29, »vectigaliorum« 146, 31 lemmata a Plinio profecta esse Schottm. arbitratur. Quorum primum quidem eodem spectat ac tituli »fabrum« 129, 10 et »amforum« 56, 5 (v. Keili

addenda). Atque a Plinio plura nomina in ista quaestione esse tractata e Servio ad Aen. II, 18 discimus, ubi legitur: »virum pro virorum, qua figura et in prosa utimur. dicit sane Plinius [»in naturali historia« interpolatum est] hoc in neutro non esse faciendum, scil. propter casuum similitudinem, nisi forte nimia metri necessitas cogat«. Sed 126, 25 Plinio adtribuere propterea dubito, quod argumenta desunt et ille exempla tam verbosa exhibere non solet. Maiore vero iure puto ea, quae s. v. »vectigaliorum« scripta exstant, Plinio vindicari, praecipue propter memoriam Rutilii »de vita sua« (v. Schottm. p. 42). Deinde si Char. 62, 15 conparamus, Romanum paulo plura praebuisse quam Charisius in c. XVII exscripsit probabile fit. Atque ne putemus c. XV auctorem Romani excerpto de suo addidisse haec verba: »et Horatius: »anciliorum et nominis et togae«, ut Bacchanaliorum Sallustius et Volcanaliorum«, prohibemur conlato Nonio p. 489 (ed. Mercerus): »Bacchanaliorum pro Bacchanalium, ut vectigaliorum et Compitaliorum et Novaliorum et Vulcanaliorum. Sallustius: »exaudirique sonus Bacchanaliorum« e. q. s., quem eodem fonte usum esse ac Romanum adparet, eumque nonnumquam Plini librum fuisse iam Schmidt, de Nonio p. 153 conlegit. De Saturnalibus autem et Parilibus et aliorum sollemnium nominibus Plinius etiam ap. Char. p. 143, 19. 126, 1 disserit, quibuscum una de »vectigalium« et similibus egisse videtur. Et alibi quoque, ubi Plinius usurpatus esse videtur, cum ea regula quae 143, 25 proponitur exemplum Horatianum illud coniunctum adparet, velut apud Cledonium K. gr. L. V p. 43, 4: »quotienscunque ista nomina in nominativo plurali ante ultimam vocalem a i habuerint, semper genetivum in ium mittunt; si consonantem, in rum, ut moenia moenium, castra castrorum, licet veteres contra artem moeniorum dixerint et anciliorum, ut »anciliorum ...«. Praeterea cf. Serv. in Don. K. IV 435, 2, Pomp. K. V 168, 19. 196, 19.

Denique »poematorum« titulum 141, 29 satis certo Plinio adsignare licet, quippe qui cum »poematis« 140, 5 arto vinculo coniunctus sit. Atque hunc — excepto Annii Flori exemplo a Romano addito — Plinianum esse perspicuum fit, si p. 53, 12 conferas, ubi post Varronis idem exemplum Plinius inducitur disputans, quomodo Varro verba vere Graeca declinaverit. Qua de causa etiam exemplum Plautinum 144, 19, quod iterum 53, 15 legitur, Plinio deberi

videtur. — Alterum argumentum non inutile Schottm. p. 41 adfert, quod 141, 31 Varronis de lingua Latina ad Ciceronem libri laudantur, quorum cognitio alibi ab eodem Plinio profecta est. — Ceterum quae Plinio vindicamus, ea ex parte recurrunt in Serv. conm. ad Don. 435, 12: »legimus enim apud Ciceronem horum poematorum, his poematis et ab his poematis«.

Iam vero nonnulla addam, quae mihi praeter ea quae iam perlustrata sunt e Plini libro petita esse videntur. Ac primum quidem non dubito titulum »turben» 145, 8 aeque ac »turbo« 144, 30 Plinio adiudicare, praesertim cum illic quoque nomen proprium et procella et buxum distinguatur. Scribendum autem erat v. 10 nimirum »turbinem«, quia nisi in nomine proprio »Turbonem« nemo admisit (cf. Prisc. I 207, 17). Deinde »Alexander« »ager« 122, 3. 4 et »Euandrus« 128, 1 cum »aestifer« 120, 4 artissime cohaerent eandemque doctrinam prae se ferunt. 128, 1 Keil adeo suspicatur Plini nomen intercidisse. Et sane, si »inquit« non inculcatum est, iuxta »opilius« »plinius« facile omitti potuit. Denique p. 127, 22 »elephans« e. q. s. nescio an a Plinio profecta sint, quia partim cum titulo »amans« 122, 8, partim cum quaestionibus de abl. sg. institutis cohaerent.

Postquam c. XVII confecimus, ad eas capitis XV partes, quae e Romani libris fluxerunt, transeamus. De quo capite in universum tenendum est quod supra dixi, excerptorem multo maiore quam Charisium usum licentia plerumque nomina auctorum a Romano indicatorum omisisse. Iam initio, priusquam progrediar, liceat mihi ea quae adhuc Pliniana esse cognovimus vel quibus Plini nomen additum est sub conspectum subicere:

p. 55, 3 osse = 138, 18
64,26 turbo = 144, 30
73,12 plurum = 125, 3
*83,30 Alexander = 128,1 (conl. 122, 3)
*90, 7 panis = 141, 20
95,22 ficus = 128, 27
100, 9 Arabs = 123, 8
100,14 amphora = 56, 4
105, 4 oscinis = 139, 11

107, 6 mugil = 136, 22
107, 9 paterfamilias = 120, 8

53,13 poematis
56, 4 amforum (v. Keili add.)
61, 6 mare (= 137, 12)
77, 5 balteus
79, 2 genetiv. ii
85, 6 gibber
88,16 vertex
105,19 pampinus (v. Keili adnot.).

Quod ad quaestionem de genetivo ii finito adtinet, suspicari oportet omnia quae inde a p. 78, 4 leguntur Plinio deberi. Nam verba »et Plinius quoque dubii sermonis VI (sic pro V Schottm. p. 43 recte emendavit conlata p. 122, 6. 7) adicit« ostendunt iam antecedentia ab eodem exhibita esse. Ac praeterea Varronis doctrinam (v. 78, 6) potissimum per Plinium ad Romanum redundasse novimus.

E ceteris locis quibus Plini nomen non adparet Schottm. (p. 43) 106, 1 sqq. (»Albani«) conlato Pompeio K. V 144, 14 Plinio tribuit. Varro autem apud Charisium laudatus in libro VIII de lingua Latina p. 179 (ed. Müller) eam rem tractavit, cuius doctrina etiam illic per Plinium tradita esse videtur, etiamsi ab excerptore ipsius Plini sententia, qui discretionem Albanorum et Albensium etcc. reiecit, aliquid obscurata est. Attamen idem in nat. hist. illam discretionem quadamtenus observat, cum 3, 69 dicat: »in monte Albano populi Albenses: Albani« e. q. s. et 3, 106: »Albensium Alba ad Fucinum lacum«.

Deinde Schottm. l. l. ea quae s. v. »sal« 106, 12 adferuntur pro Plinianis habenti adstipulor. Nec vero ille argumentis innixus est: nam inde quod in »fragmento de nomine« ap. Endlicherum p. 134 = K. V 560, 30 legitur: »ut dicit Plinius Secundus in libris dubii sermonis, hic salis ab hoc sali« vix cogi potest ad eundem Charisianum illud redire. Attamen hoc probare posse mihi videor. Ac primum quidem etiam Caprum de eadem re tractasse conperimus ex anecd. Helvet. p. 111, 28: »Inde Caper dicit: Ille sal[e] aspersus Musarum. Non erit hoc sal et hae sales, sed ἑνικῶς,

id est in singulari, erit quod edimus. Item hi sales pluraliter urbanitatis alicuius, ut: sales infusi (»intussi« cod.) adhaerescunt« (cf. Charis.). Quae eadem hoc exemplo omisso in Capri libro de orthogr. K. VII 102, 1 repetuntur. Atqui nominativos »salis« apud Nonium p. 223 M. legitur: »salis genere masculino« e. q. s., qui titulus ideo a Plinio profectus esse existimari debet, quia »salis« nominativom a nullo alio grammatico adgnitum scimus. Iam vero exemplum Terentianum a Nonio adlatum etiam in Sergii quae fertur explanatione in Donatum K. IV 542, 12 (cf. etiam Servium ad Aen. I 35) exstat sub titulo »sal«, qui in ceteris prorsus cum Char. p. 106 consonat et cum hoc ex uno eodemque fonte fluxit. Pro »Marius« autem apud Sergium »Fabius« legendum est, id quod Charisius et alius Probi locus (K. IV 209, 21) docet. Conmunem vero fontem propter Nonii locum Plini librum fuisse credo. — Adcedit autem aliud argumentum, ut mihi videtur, gravissimum. Etenim apud Charisium (Romanum) plus semel (Papiri) Fabiani philosophi verba exhibentur idque, si a nostro loco discesseris, p. 105, 14 »palpetras«, 142, 14 »radicium«, 146, 28 »volucrium«, ubi earundem causarum naturalium libri conmemorantur. Quorum titulorum posteriores duo Plinio debentur. Apud alios grammaticos Fabiani mentio perraro fit[1]), neque id mirum est, cum qui artem scripturus erat non facile libros ad rerum naturam et animalia spectantes adiret. Plinium vero — quod ne neglexeris — novimus in nat. hist. Fabiano auctore haud raro esse usum (cf. 9, 8, 25. 12, 9, 20. 15, 2, 4. 18, 68, 276 alia). Quae cum ita sint, Romani certe locos omnes, ubi Fabianus nominatur, Plinio tribuere audeo. Similiter Plinius solus e grammaticis Hyginum »de agricultura« (Char. 142, 15) et Trogum »de animalibus« (Char. 137, 9 et 102, 10; de hoc loco v. p. 27) laudat, quorum uterque in nat. hist. crebro in testimonium vocatur.

Iam cetera perlustremus. Plinio haud dubie debetur titulus »insomnia« 101, 17. De illius enim placito certiores facti sumus a Servio ad Aen, IV 9, qui disputans utrum hoc versu »insomnia«

---

[1]) Praeter locos iam dictos hos solos invenimus: K. gr. L. V 590, 17 »strues«, ibid. 591, 1» . . . ut Fabianus: sal mixtus«, quem locum cum superioribus ex eodem fonte haustum adparet, denique Diomed. 375, 22, ubi de salliendo (!) agitur.

singulariter an pluraliter sit intellegendum haec profert: »Insomnia (femin. sg.) enim, licet et Pacuvius et Ennius frequenter dixerint, Plinius tamen exclusit et de usu removit«. E Charisi loco, quo item Pacuvius et versus ille Vergilianus laudatur, adaeque cognoscimus Plinium apud Vergilium singularem numerum non admisisse et pluralem aut vigilias aut somnia interpretatum esse. — Videtur etiam Nonius p. 209 »insomnium« Plinio debere licet ab alio quo mutuatus.

Adcurata quaestione digna sunt quae ap. Char. p. 77, 20 s. v. »clipeus« exstant: »quare * dubii sermonis II indistincto genere dici ait, sed littera differre, ut pugnatorium per i clipeum dicamus, quod est clipeus *ἀπὸ τοῦ κλέπτειν*, id est celare, dictus, imaginem vero per u a cluendo. sed haec differentia mihi displicet propter communionem i et u litterarum. nam et maximus et maxumus dicimus et optimus et optumus, nec tamen illa differentia secernimus«. Fabricius olim ante »dubii sermonis«, ubi nomen aliquod intercidisse adparet, »Plinius» scribendum proposuit, idem vero etiam »Caper« coniecit, eo ut videtur nixus, quod in Capri de orthographia libello K. VII p. 97, 14 legitur: »clipeum *ἀσπίδα*, clupeum ornamentum dices«. Praeterea apud Servium in Aen. IX 709 Caper de clipei genere disputans inducitur. Iam vero Caper Plinio uti potuit, de quo, cum dubii sermonis libri laudentur, ante alios cogitandum est. Tamen Schottm. p. 43 adnot. propterea ista verba a Plinio aliena esse putat, quod in nat. hist. 35, 3, 4 (13) illa doctrina sic reprobatur: »scutis enim qualibus apud Troiam pugnatum est continebantur imagines, unde et nomen habuere clipeorum, non, ut perversa grammaticorum subtilitas voluit, a cluendo«. Sed primum obverti potest in nat. hist. Plinium saepius a suis ipsius regulis descivisse, quod Detlefsen symb. philol. Bonn. p. 697 sqq. ostendit. Tum vero ne certo quidem scimus num Charisi verba recte sese habeant. Fieri enim potest ut aut excerptoris aut librarii culpa Plini doctrina non diligenter relata sit aeque atque alias, velut 105, 4 »oscinis« conlata p. 139, 11 et 95, 27, ubi — conl. 128, 27 — Varronis exemplum omissum eiusque loco Ciceronianum receptum est. Quare nostro loco fortasse ea doctrina quae initio traditur a Plinio — sicut in nat. hist. — conmemorata, non conprobata est eiusque iudicium deinceps sequentibus »sed haec differentia . . .« continetur. Certe horum cum Plini nat. hist. consensus animadversione dignus est, quo adcedit quod

Velius Longus de orthographia K. VII 68, 11 idem iudicium repetit: ›nec audiendam vanam grammaticorum differentiam, qui alterum a clependo (alterum a cluendo) putant dictum‹. — Sed utut haec se habent, Plini nomen mihi utique restituendum videtur. Nam hic in c. XV saepius, Caper nusquam laudatur. Gravissimum autem est, quod Capri liber nusquam omnino ›dubii sermonis‹ adpellatur et Romanus praeter librum ›de Latinitate‹ nullum Capri scriptum laudat neque umquam libri numerum addit.

Si quidem numerus II genuinus est, Romanum non VI solo, sed etiam aliis dubii sermonis libris usum esse discimus, id quod etiam per se veri simile est. Hoc tamen de libro de analogia et de eis quae inde sumpta sunt non valere videtur. Quare ›clipei‹ exemplum non in illo libro a Romano exhibitum esse existimandum est, sed, ut iam p. 17 conieci, in tractatu περὶ ὀρθογραφίας, in quo conscribendo ex aliis Plini libris eum hausisse consentaneum est, quia in VI, quantum videmus, nihil nisi nominum declinationes pertractatae erant. Tametsi Schottm. p. 43 etiam titulos ›balteus‹ 77, 5, ›gibber‹ 85, 6, ›vertex‹ 88, 16, ›pampinus‹ 105, 19 eidem libro adsignare conatur, credo iniuria. Namque ›vertex‹ saltem, ubi solummodo de e vel o, non de terminatione quaeritur, non in illum convenit, sed potius ad II librum, in quo de rebus orthographicis actum esse putandum est, pertinere videtur. Neque quae Priscianus vol. I p. 594, 23 (ed. Hertz) Plinium in II dubii sermonis libro quaesiisse prodit, quare ›nobiscum‹, non ›cum nobis‹ dici deberet, a quaestionibus orthographicis abhorrent — dumtaxat qua ratione ibi disceptantur. Ceterum ›balteus‹ et ›pampinus‹ nescio an I libri fragmentis inserenda sint, in quo Plinium de generum distinctione disputasse e Prisc. I 233, 12 et 262, 17 compertum habemus.

Quae praeterea a Plinio translata esse arbitrer ostendam. Titulum ›lactis‹ 102, 4 Plinianum esse conpluribus rebus suadetur. E Prisciani loco illi simili (I 212, 4) manifestum fit etiam a Capro hanc quaestionem esse expositam, et planis verbis dicitur: ›apud quem exempla invenis‹. Inter quae etiam Charisianum illud a Catone profectum fuisse conicere licet, praesertim si anecd. Helvet. p. 120, 3 sqq. conferas, ubi non solum idem Catonianum exhibetur, sed etiam ad ›regulam Plauti‹ relegatur: unde conlato exemplo

Plautino apud Priscianum exstante efficitur Claudium grammaticum incognitum, qui in anecd. Helv. nominatur, e Capri libris delibasse. (Similia ap. Pompei. K. V. 199, 10). Deinde ex hoc loco discimus ›eruditiores‹ apud Charisium Varronem significare, qui contra Caesarem ›lact‹ defendit. Caprum porro illa testimonia a Plinio esse mutuatum veri quam simillimum duco. Saepius enim a Plinio (cf. Char. 122, 25. 130, 5) Varronis praecepta contenduntur cum Caesaris regulis, quas Romanum a Plinio adcepisse supra diximus. Et quis grammaticus ›lacte‹ scribendum conmendare potuit? — Caper ipse nullo modo, qui apud Prisc. l. l. ›antiquissimos etiam hoc lacte protulisse‹ testetur. Idemque e libro de orthographia K. VII 95, 13 elucet: ›lact: licet quidam negent illud nomen muta posse finiri, et ideo dicant lacte esse dicendum, non lac aut lact‹. Quid? quod Plinius ipse in nat. hist. conpluries ›lacte‹ formam usurpat: 15, 53. 24, 100. 20, 67; 183. 23, 126. 30, 123. Praeterea in hoc titulo Trogi (›de animalibus‹) mentio fit, qui tota Charisi arte semel tantum alias (137, 9) idque a Plinio, qui eo in nat. hist. utitur, laudatur. Denique, ut hoc addam, Unger ›de Valgii Rufi poematis‹ p. 180 omnes Valgii citationes apud Charisium Plinio, qui eum etiam in nat. hist. secutus est, deberi suspicatus est. Sed in universum hoc probare nequeo: tametsi id concedendum puto, ea quae ›de rebus per epistolam quaesitis‹, ad quas ut 143, 25 ita noster quoque locus pertinere videtur (cf. Teuffel, Röm. Lit. § 241, 3), adferantur, Plinio danda esse, cui Valgii memoria 135, 23 (v. p. 20) et 143, 25 debetur. Quare etiam, quod restat, ›suovetaurilia‹ 108, 28 ab illo depromptum esse arbitratus sim: de qua re iam Verrius Flaccus (ap. Festum p. 293 a) similiter disseruerat. — Ceterum, ut ad Char. 102, 4 revertar, illic Valgi Verri Trogi sententiae servatae sunt, quia Romanus ab ipso Plinio sua petivit, non item ceteri qui similia praebent.

Ex eis quae supra dixi etiam capitis XV locos, quibus Caesaris de analogia libros laudatos invenimus, Plinio adsignare non dubito. Quorum alter ›panis‹ 90, 5 cum c. XVII 141, 20 concinit, alter 110, 23 de pronomine ›idem‹ agit. Utroque loco sicut in XVII capite secundus liber descriptus est.

Eadem quam iam inii via progressus nonnulla alia Plinio vindicare conabor. Nam quae apud Charisium sive potius apud solum

Romanum Gellii rerum scriptoris exstant memorationes, eas omnes Plinio adtribuere non dubito. Etenim praeter id fragmentum quod p. 55, 7 = 139, 2 (cf. etiam Prisc. I 318, 4, Caprum K. VII 100, 1) a Plinio servatum est, Gellius, cuius apud alios grammaticos nova fragmenta non inveni, laudatur 71, 29 ›forum‹, 54, 25 ›regerum‹ ›lapiderum‹, 54, 13—18 septiens de dativo vel ablativo plur. ›abus‹ finito. Atque haec postrema sane e Plini copiis hausta esse eo ostenditur, quod hic de eadem re in c. XVII idem disputat. Confer enim

p. 54, 10: ›deabus et libertabus filiabusque, quod iuris periti instituerunt, ambiguitatis secernendae scil. gratia......‹ 16: ›quae, ut dixi, sexus ostendendi causa defendi possunt‹.

cum 129,13: ›Filiabus in testamentis ob discrimen sexus ait Plinius dici consuesse‹.

Cetera vero eiusdem originis esse atque illa iure contendi potest. Adcedit quod in nat. hist. Gellius aliquotiens auctor nominatur, idque semel adeo de re grammatica (7, 192), scilicet de inventione literarum. Quam rem etiam in dubii sermonis libris tractatam fuisse inde conicio, quod similia cum alibi tum apud Marium Victorinum K. VI 23, 14 sqq. exstant, ubi adaeque Gellius inter alios auctores adfertur. Porro conferendus est Maximus Victorinus K. VI 194, 11, qui sine dubio eodem fonte quo Marius V. usus est (v. Peter hist. Rom. reliq. p. 40 adnot.) et mirum quantum cum Plinio consentit.

Max. Victorinus:

›Qui primi litterarum inventores fuisse traduntur? Phoenices, quamvis alii Assyrios, alii Mercurium apud Aegyptios adserunt. in Graeciam certe Cadmum Phoenicem XVI attulisse constat .... iisque Troiano bello Palamedem addidisse IV, η ψ χ φ, post eum Simonidem melicum

Plinius:

›Litteras semper arbitror Assyriis fuisse, sed alii apud Aegyptios a Mercurio, ut Gellius, alii apud Syros repertas volunt. utique in Graeciam attulisse e Phoenice Cadmum XVI numero, quibus Troiano bello Palameden adiecisse IV hac figura, η ψ φ χ, totidem

totidem, υ ξ ω ϑ [v. adn.]; hae auctore, ut quidam volunt, Euandro, ut alii, Hercule in Italiam a Pelasgis adlatae sunt‹.

post eum Simonidem melicum, υ ξ ω ϑ .... in Latium eas attulerunt Pelasgi‹.

Plini autem fons de XVI literis primariis Varro fuisse videtur, quem totidem statuisse e Pompeio K. V. 98, 23 cognoscimus. Qui tamen Marii et Maximi auctor non fuit, quoniam secundum Prisc. I 8, 2 in libro II de antiquitate literarum Chaldaeos pro inventoribus abuit. Reliqua igitur de Assyriis etcc. et praecipue Gelli testimonium Plinius addidisse putandus est, a quo ad alios grammaticos pervenerunt. Neque ex nat. hist. illam doctrinam a diversis grammaticis petitam esse nobis persuadebimus.

Alii etiam scriptores sunt, qui a Romano praecipue et praeterea a Diomede laudentur quorumque alibi rarissimae exstent conmemorationes. Reliquiae autem eorum quae apud illos restant ita conparatae sunt, ut non ab ipsis scriptoribus eas desumptas, sed e medio aliquo fonte delibatas esse adpareat. Ex quibus eas quas Plinio deberi credo in sequentibus tractabo nonnullis de Diomedis fontibus praemissis.

Nostra ea sola e Diomedis arte interest tractare, quae in explicatione verborum de veterum usu traduntur (p. 364, 9 sqq., 381, 20 sqq.). Ex quibus pleraque in Prisciani institutionum l. VIII et seqq. ita repetita videmus, ut hunc nulla ratione a Diomede sua desumpsisse, sed conmuni cum illo fonte usum esse iudicare cogamur. Quod post Lachmannum Keil in praef. gr. L. I p. LII iure meritoque obtinuit. At idem Keil eo processit, ut Diomedem omnia illa ab ipso Probo, qui bis adpellatur (p. 364, 30. 365, 10), mutuatum esse statueret, eo etiam nixus, quod in Prisciani partibus respondentibus nonnumquam ille in testimonium vocatur. Quam sententiam, cum iam Christ (philol. XVIII p. 129) dubitasset num ipse Probi liber Diomedi prae manibus fuisset, Steup ›de Probis‹ p. 190 sqq. disertius oppugnavit. Et Priscianum quidem Probiana e Capri maxime libris desumpsisse Keil gr. L. IV p. XVIII concessit. Caper enim cum alibi tum p. 490,9 una cum Probo laudatur, qui locus etiam apud Diomedem 375,25 licet conruptus — v. Keili adnot.

— occurrit. Nec minus Diomedem indidem sua hausisse Steup contendit. Atque sane si demonstrari potest et apud Diomedem et apud Priscianum Plini et Probi memoriam coniunctam prodi, etiam Diomedem non ipsos adiisse, sed amborum cognitionem una vel a Capro vel ab aliquo eius conpilatore adcepisse concludi debet. Quod probari posse mihi videtur. Etenim apud Diomedem praeter Probum Plinius bis laudatur 368, 10 et 377, 19 — et alibi quoque eius vestigia latere videbimus — cuius mentionem Keil gr. L. I p. LIII aut apud Probum inventam aut a Diomede ipso interiectam putat. Iam vero cum apud Prisc. I 511, 24 — Plini nomine omisso — eadem quae priore loco doctrina exhibeatur eiusdemque Varronis exempli ipsis verbis inlustretur, porro cum Priscianum sciamus usum esse Capro, hunc vero Plini et Probi libros excussisse et in usum suum convertisse (v. p. 38 sqq.), facere non possumus quin conligamus Plini Probique conmemorationes apud Diomedem una factas pariter atque apud Priscianum a Capro descendere, quem auctorem suo more tacet. Id saltem hoc exemplo dilucide cernimus non omnia quae apud Diomedem et Priscianum congruant Probo danda esse. Quod postquam ostendimus, rursus ad Romanum, a quo digressi sumus, redeamus.

Inprimis Aemili Scauri et Rutili Rufi conmemorationes considerandae sunt. Quorum prior apud Romanum his locis laudatur: contra Brutum 129, 11. 210, 3, contra Q. Caepionem 147, 10. 12, de vita sua 146, 36; apud Diomedem his locis: de vita sua 374, 17. 377, 12. 385, 30. Recte Peter, hist. Roman. reliq. p. CCLX existimavit et huius et Rutili exempla apud Charisium et Diomedem exstantia uni cuidam deberi excerptori, praesertim cum aliunde perpauca tantum fragmenta cognita sint. Quae sententia eo constabilitur, quod ut apud Charis. 146, 35. 36 ita apud Diomed. p. 374, 13. 14 Rutilius »de vita sua« et Scaurus »de vita sua l. III«[1]) una laudantur et huius liber III p. 385, 30 repetitur. De his vero 146, 31 sqq. iam p. 21 Plinio vindicavimus. Praeterea Rutilius »de vita sua« p. 195, 16 et 376, 3[2]) laudatur, denique in Plinianis

[1]) Char. 146, 36, ubi »de vita sua« deest, Keil in indice perperam Scauro grammatico tribuit.

[2]) De Diom. p. 376, 4, ubi post Rutili verba pergitur: »idem (»item« A) pro

120, 17. 125, 11. 130, 18. 139, 18. Ac Plinius etiam 129, 11 Scauri mentionem facit et ap. Diom. 377, 19 paulo post exemplum Scaurianum (12) testis advocatur. Quae cum ita sint, eum qui haec omnia excerpserit non latere arbitror. — Ceterum in Romani de adverbio capite, in quo Plinium adhibitum esse non constat, Rutili exemplum 195, 16 Capro Plini conpilatori deberi videtur, a quo subsequens illud Asellionis certo petitum est. Idemque fortasse de Scauro 210, 3 valet.

Deinde in censum venit Aemilius Macer, cuius reliquias conlegit fusiusque explicavit Unger in progr. Friedlandensi a. 1845. Plurima eius fragmenta ad naturalem historiam pertinentia a Romano servata sunt, apud ceteros autem grammaticos — si a Servio, Nonio et aliis, qui ad res inlustrandas eum adhibent, discedimus — nisi apud Diomedem et in fragm. »de dubiis nominibus« (K. V 576, 5. 592, 20) in grammaticis quaestionibus non laudatur. Quin Romani dumtaxat fragmenta, 65, 7. 72, 17[3]). 81, 18[3]). 100, 33. 107, 4. 133, 11. 14, et Diomed. 374, 21 — fortasse etiam »de dub. nom.« l. l. — uni eidemque fonti debeantur vix quisquam dubitet. Iam vero Romanus duo exempla iuxta conlocata (133, 11. 14) se Plinio debere ipse profitetur, et Diomedis exemplum statim subsequitur ea, quae iam supra ob Rutili et Scauri mentiones satis certo Plinio adscripsimus. Adcedit quod Macer noster, per errorem conpluries Licinius vocatus (v. Unger l. l. p. 15), in Plini nat. hist. saepe inter auctores adfertur. Quae considerantibus nobis cum probabilitate suspicari licet Macri apud Romanum et Diomedem exempla ad Plinium auctorem redire. — Perperam Aemilius Macer pro Licinio ap. Diom. 369,15 = Prisc. I 525, 4 (v. adnot.) nominatur.

Postremo pauca de Pomponii Secundi conmemoratione ap. Diom. 371, 18 addam. Huius epistola ad Thraseam data excepto Prisciani loco cum hoc congruo (I 538, 29) apud solum Romanum ut fons grammaticus adhibetur p. 125, 23 et, ut videtur, 137, 23, quamquam hic libri inscriptio omissa est. Atqui non solum hos locos, sed etiam tertium p. 132, 15 (de ablativo!), e Pomponi Aenea

L. Cesutio ad populum . . . .« Peter hist. Rom. reliq. p. CCLXV conlato Prisc. I 520, 23 et Festo p. 301 a. 26 recte censuit Catonis pro Caesetio orationem significari.

[3]) Haec exscripsit Beda K. VII 282, 18. 291, 9.

depromptum, Romanus aperte Plinio debet. Quare Diomedis (et Prisciani) locum potissimum propter epistolam ad Thraseam laudatam eidem adscribo. Quodsi a Plinio Pomponi reliquiae nobis servatae sunt, id praeclare congruit cum ratione, quam inter hos duos viros intercessisse audimus. Plinium enim nostrum de illius vita II libros conscripsisse Plinius minor ep. III 5, 3 nobis tradit. Et in naturali quoque historia Pomponius laudibus effertur, velut e. g. 13, 83 »vates civisque clarissimus« vocatur. — Hoc exemplum non praetereundum censui propterea quod cum Romano artissime cohaeret.

Quae hucusque de singulorum scriptorum reliquiis a Plinio servatis eruere mihi contigit, quantam iacturam etiam veterum librorum fragmentorum aliunde aut parum aut nihil cognitorum Plini arte deperdita antiquitatis studia fecerint propalam ostendunt.

De Palaemone.

Praeter Romanum e Charisi auctoribus Palaemon Plinianae doctrinae fragmenta servavit: apud quem Plinius his locis laudatur: p. 187, 20 et 225, 29. 31, quorum posteriores duo conspirant cum p. 416, 18. 27 Diomedis, qui eodem Palaemone usus est. Ac praeterea alibi apud Palaemonem Plini vestigia latere deinceps videbimus. De illo bene disputavit Schottm. p. 8 sqq., qui coniunctionis »velut« usu et aliis observationibus nixus nonnullas partes auctoris nomine carentes iure illi tribuit (v. indicem p. 25). Idemque deinde p. 28 sqq. Palaemonem Charisi et Diomedis prorsus diversum a vetere Remmio Palaemone Quintiliani magistro et eundem esse, qui in Sidoni Apollinaris ep. X libri quinti citaretur, contendit. Quod posterius quamvis sit infirmum, tamen id constare debet, talem qualem apud Charisium invenimus artem Palaemonianam a Remmio non potuisse proficisci. Neque Morawski (in Hermae vol. XI 352), quamquam conpluria ad Remmium referri putat, multa in illius aetatem non quadrare negat, idemque fere Christ (philol. XVIII 126) concedit. Si omnino genuinus quidam nucleus subsit, Plini quoque conmemorationes post additae probabiliter putandae sint (v. Schottm. p. 29, Morawski l. l. p. 352). Verum num quae ad Remmium pertineant ex eis quae Schottm. disputavit valde dubitandum est. Nam quae de elocutionis cum Quintiliano (Remmi discipulo) consensu a Morawskio

adferuntur, etiamsi non tam volgaria essent, parum demonstrarent. Adeo »qualitatis« vox, qua et apud Palaemonem et apud Quintilianum modi significantur, etiam in Aspri arte K. V 551, 13 usurpatur. At profecto Palaemonianae artis indoles in universum, ut antiquiora insint, a Remmi aetate abhorrere coarguitur non solum argumentis a Schottm. adlatis, sed etiam eo, quod, cum nec Varro neque Plinius [1]) neque Quintilianus et ne Donatus quidem (K. IV 378, 3) certas nominum declinationes secernant, sed solummodo secundum ablativos (in a, e, i, o, u) disponant, Palaemon qui fertur ap. Char. I, X, quod caput maximam partem (v. Schottm. p. 18) sive potius universum eius est, iam quatuor ordines volgari serie se excipientes distinxit neque quintum ignoravit (v. p. 18, 9. 31, 8). Deinde si Palaemonem cum Cominiano contuleris, haud multum interesse intelleges et utramque artem sollemnem illam recentioris aetatis speciem referre videbis. Tum inde quod altera ars a Charisiana diversa (K. V 525) eidem Palaemoni adscribitur conligere in promptu est utramque non maiore iure inlustri illi grammatico inputari quam aliquot scripta Probi nomine adornata Berytio.

Nihilominus haec ars, quia nonnullis locis Plini doctrinam prodit, ad nostram curam pertinet. Pliniana vero in Charisi libri I c. X haec inveniuntur:

p. 18, 17: »Dicunt q u i d a m, veteres in prima declinatione solitos nomina genetivo casu per as proferre, item dativo per i, velut haec aula huius aulas huic aulai; e t i a m i n d e p e r s e v e r a s s e p a t e r f a m i l i a s«. (Eadem in excerptis Charisianis quae dicuntur p. 538, 22 ex integra Palaemonis arte hausta sunt). Quid verba »inde perseverasse« sibi velint, conperimus e Plini ipsis verbis apud Romanum 120, 11: »nam et Sisenna inquit eum qui diceret pater familiae, patrum familiarum oportere dicere. itaque, patrum familiarum cum consuetudinis taedium respuerit, et p a t e r f a m i l i a s d i c i p e r s e v e r a t u m e s t«. [2])

[1]) Cf. Char. p. 138, 18: »monosyllaba e x t r a a n a l o g i a n esse Plinius eodem l. VI scribit« — ibid. 135, 20: »lacer an laceris? ut tener puer. ultimam enim vocalem . . .« e. q. s. — Prob. K. IV 89, 10: »quaeritur a Plinio Sec., paries . . . qua de causa non et hoc nomen ad e productam (scil. ablativo) pertinere pronuntietur«.

[2]) Etiam Varro de l. Lat. VIII, 73 p. 192 M. in hac quaestione ad Sisennam provocat.

p. 25, 30 (cf. Morawski l. l. p. 352): »haec nomina [in an] in uno casu habent quaestionem, id est in accusativo plurali. paeanas enim et Titanas et Alcmanas dixerunt plerique, qui errant. nullum enim nomen in as extremitatem venire potest accusativo plurali, nisi prius nominativus singularis in a venerit« . . . p. 26, 7: »ergo hos paeanes et hos Titanes, ut hos reges et has leges«. Eadem regula eisdem exemplis inlustratur a Plinio p. 145, 5: »Titanas. ubi Plinius: nec paeanas accusativo, inquit, recte dicimus. nullum enim nomen accusativo plurali in as venit nisi quod nominativo plurali in ae sonabit«.

De aliis Palaemonis capitibus haec adferenda sunt.

p. 47, 7 regula de abl. sg. III data: »nam si [adiectiva] propria nomina fuerint, tunc ablativum in e litteram habere debebunt, ut a Felice Vehemente Salutare« (cf. 545, 17), quamquam fortasse ab alio quo Palaemonianis admista est (v. Schottm. p. 19), tamen generaliter Plinianum praeceptum refert, quale e. g. p. 130, 25. 143, 5. 146, 17. 23 exstat. (Similia ap. Prisc. I 335, 15. 347, 10. Serv. ad Aen. II 610. frg. Bob. K. V. 562, 35.)

Deinde quae p. 233, 10 de praepositionis »super« significatione e Palaemonis libro excerpta sunt, pleniora et uberiora apud alios grammaticos inveniuntur, velut Diomed. 413, 12. Prisc. II 55, 7 sqq. K. IV 420, 16. V 26, 4. 277, 25. 523, 12. anecd. Helv. 264, 34. Serv. ad Aen. X 42, denique Plinio auctore adpellato apud Audacem K. VII 355, 20 sqq: »Super praepositionem Plinius Sec. ex his tribus praepositionibus, id est supra de in, vult habere significationem, ... »multa super Priamo rogitans, super Hectore multa« e. q. s. Eademque una cum Plini nomine in arte Bonifatii (Mai class. auctor. VII p. 546) repetuntur.

Tum vero Plinio debetur p. 175, 25 haec doctrina (cf. Morawski l. l. p. 352): »Verba supina sunt haec, docendi docendo docendum doctum doctu. quae quidam declinant post finitiva adiungentes non similia; quidam putant verba infinitiva, alii inter adverbia qualitatis posuerunt«, id quod elucet e p. 187, 20, ubi ad illum provocatur: »Plinius Sec. inter adverbia qualitatis posuit dicendo legendo dicendi legendi«. Nec minus eadem regula repetitur p. 172, 18: »supina vel adverbia audiendi audiendo audiendum auditum auditu«. Atque etiam p. 189. 19 Plini doctrinam

referri pro certo habeo: »Inter adverbia quidam haec posuerunt quae etiam apud veteres observata sunt, velut translatui dimissui receptui ostentui«: nam haec exempla cum »auditum auditu« faciunt. (Eadem apud Diomed. p. 407, 27 leguntur.) — Videmus igitur de hac re Plinium singularem quandam sententiam amplexum esse, non sine Graecorum grammaticorum auctoritate. Dionysius enim Thrax (in Bekkeri anecd. II p. 629 sqq.) § 24 adverbia »θετικὰ« adgnoscit »οἷον ἀναγνωστέον, γραπτέον, πλευστέον«, quibus in lingua Latina gerundia adprime respondent (cf. Lersch, sprachphilosophie II p. 101, Steinthal, geschichte der sprachwissenschaft p. 673). A Graecis etiam Priscianus II 324, 7 sua mutuatus esse videtur. Sed etiam certius Plinium Graecos secutum esse demonstrari potest. In illis enim fuisse qui adiectivom verbale qualitatis adverbium dicerent, discimus e loco aliquo Etymol. Magni a Schoemanno (Redetheile p. 170) laudato, p. 479, 29, ubi legitur: »Ἰτέον· ἐπίῤῥημα ποιότητος . . .«.

In libri II capite VII de pronomine e tribus partibus constante quamvis dignosci non possit, quae vel potius num qua e Palaemonis arte fluxerint, nonnulla certe Plini vestigia inesse negari nequit. Ac primum quidem p. 160, 4. 161, 6. 162, 23 (cf. Diomed. 329, 27. 331, 10) pronomina possessiva et extrinsecus et intrinsecus declinari dicuntur, i. e. et terminatione et persona aut singulariter aut pluraliter: quam Plinianam fuisse doctrinam ex [Probi] institutis artium K. IV 137, 11 conpertum habemus, ubi clrae proditur: ». . . Plinius Sec. pronomina possessiva et per quandam mixturam sic putavit esse declinanda, i. e. intrinsecus et extrinsecus. sed hoc supervacue cunctis artis latoribus visum est disputari«. Neque hanc declinandi rationem ignoravit [Sergius] explanator Donati K. IV 500, 34, et adeo apud ipsum Donatum ibid. 358, 13 sqq. duplicem quidem declinationem consociatam invenimus (cf. etiam Prisc. I 580, 25, anecd. Helv. 247, 10. 248, 14). Primo autem quem adtuli Charisi loco (160, 8) illam »animadversionem a Graecis esse notatam« dicit grammaticus. Et sane ut alias ita in hac re Plinium Graecorum rationi sese adplicuisse conplures testes sunt, velut Dionysius Thrax § 22: ». . . πᾶσαι αἱ κτητικαί, αἳ [propter duplicem illam declinationem] καὶ διπρόσωποι καλοῦνται«, Apollonius Dyscolus de pronomine p. 280 A (in Museo antiquit. stud. I):

»διπροσώπους τὰς κτητικὰς ὁ Δράκων ἐκάλει«, idemque de constructione 3, 27 p. 258, 26 (ed. Bekker): »ἥ γε μὴν ἐμὸς καὶ δὶς ἑνικῶς νοεῖται καὶ δύο πρόσωπα παρεμφαίνει«.

Omnino vero Plinius, ut hoc addam, in partibus orationis describendis et definiendis haud raro Graecorum grammaticorum vestigia pressisse videtur, velut ne articulum quidem a lingua Latina abesse voluit. Nam secundum instituta artium K. IV 133, 8 vocabulum »h i c tunc voluit dici pronomen, quando solum reperitur declinari .... at vero si cum alia parte orationis inveniatur declinari, articulum appellari, ut puta hic Cato ..«. Quam distinctionem alibi quoque conmemoratam invenimus, velut Prisc. I 581, 26. Donat. 381, 4. 357, 35. 372, 27. Serv. in Donat. 428, 15. 436, 23. Serg. 548, 9. Cledon. K. V. 15, 3. 50, 19. 53, 12. Pomp. 211, 1. anecd. Helv. 203, 21. 249, 30. Isidor. orig. I 7, 5. Sed enim Plinium certe primum duas regulas postremas ad grammaticam Latinam traduxisse et veri simile est et Probus qui fertur coarguere videtur, cum dicat p. 137, 13 »sed hoc supervacue cunctis artis latoribus visum est disputari« et p. 133, 11 »sed haec discretio a Plinio Sec. cunctis artis latoribus supervacue visa est constitui«.

Pars II. De Prisciano.

Quod adhuc nemo, quantum scio, dedita opera in Prisciani institutionum fontes inquisivit, eo magis mirandum est, quo ille tantam undique et observationum praeceptorumque et veterum scriptorum reliquiarum silvam congessit, ut paene ab omnibus qui linguae et literarum Latinarum historiae operam navent adeundus atque excutiendus sit. Nostrum igitur est in fontes eius, quatenus opus est, inquirere, id est ita, ut non solum ea quae cum probabilitate ad Plini dubii sermonis libros referantur conligamus et inlustremus, sed etiam utrum ipse Plinio usus sit an per alienam — et per cuius — manum illam doctrinam adcepisse existimandus sit eruere conemur.

Ac primum quidem quam in universum Priscianus secutus sit

rationem in institutionibus grammaticis conscribendis, ab ipso audiamus. Dicit enim in totius artis praefatione ad Iulianum consulem data, praeter auctores Graecos, e quibus nominat Apollonium et Herodianum, etiam Latinos a se esse adhibitos, a quibus quaecumque necessaria sibi visa essent conlegisset (I p. 2, 5). Atque sese ipsum admodum pauca addidisse in praefatione libri VI profitetur, cum dicat (I 194, 8): »Nunc de nominativo et genetivo singulari — — pleraque quidem a doctissimis viris, paucula tamen et a me pro ingenii mediocritate inventa exponam«. Similia leguntur initio libri XVII (vol. II 107): »Quoniam in ante expositis libris de partibus orationis in plerisque Apollonii auctoritatem sumus secuti, aliorum quoque sive nostrorum sive Graecorum non intermittentes necessaria et si quid ipsi quoque novi potuerimus addere« e. q. s. Quod verum esse totius libri indole ostenditur. E Latinis vero nullius eum copiis saepius et uberius usum esse quam Capri, cuius totos fere libros exscripsit, deinceps videbimus.

De Capro et Plinio.

Capri mentio fit XXVII locis, quorum nonnullis legentes ad illius libros relegantur indicaturque haud ita pauca inde esse deprompta, velut p. 171, 14[1]): »Supra dictorum tamen nominum usus et apud Caprum et apud Probum de dubiis generibus invenis«, p. 212, 5: »teste Capro, apud quem exempla invenis«, p. 390, 26: »Vetustissimi autem multa sic protulerunt confusa terminatione teste Capro«, p. 393, 9: »Sed et eorum et superiorum omnium usus tam apud Caprum quam Plinium et Probum invenies«. De eis vero quae Capro debentur propterea erit fusius tractandum, quod hic Plini maxime et Probi vestigiis instabat. De Capri libris post Osannum »de Capro et Agroecio« Gissae 1849 et Christium in philol. XVIII p. 165 sqq. de illius libro existimantem disputaverunt Kirchner »de Servi auctoribus grammaticis« in annal. philol. suppl. VIII p. 514 sqq. et Keil gr. L. VII p. 88 sqq. Christ recte statuisse videtur duos tantum libros a Capro esse conscriptos, alterum »de Latinitate« s. »de lingua Latina« s. »enucleati sermonis«, alterum »de dubiis generibus«, quem Priscianus laudat p. 212, 15

[1]) Ubi voluminis numerum non addo, semper primum intellegitur.

»quod Caper ostendit de dubiis generibus« et, si quidem et ad Caprum et ad Probum libri inscriptio pertinet, p. 171, 14, quem locum modo exhibui [1]). De duobus eis libellis quibus Capri nomen praefixum est »de orthographia« et »de dubiis verbis« viri docti, in quibus Keilius, recte censuerunt. Probatur enim ceteris de Capro testimoniis conlatis, si minus omnia — nam nonnulla recentiori demum aetati consentanea esse elucet — at certe magnam partem observationum ibi congestarum vere Capro deberi. Quodsi Christ (l. l. p. 168) priorem libellum excerptum esse putat e Capri libro de lingua Latina, alterum ex eiusdem de dubiis generibus, id nullo modo stare potest. Namque ut in hoc non de dubiis generibus solummodo agitur, sed etiam aliae quaestiones disceptantur, ita in illo inesse videmus quae conlato Prisciano ex libro de dubiis generibus hausta esse arguantur, velut

p. 95, 2 (K. VII) »pauper vir et mulier dicendum, non paupera mulier« = Prisc. 152, 8.

p. 100, 15 »buxus arbor est, buxum autem materia ipsa« = Prisc. 142, 14.

(p. 101, 18 »rete«. De hac voce Caper disseruisse dicitur ap. Prisc. 171, 7. 14.

p. 100, 16 de »malo« idem valet conl. Pr. 142, 11.)

In quinto enim libro Priscianus scripto de dubiis generibus se usum esse p. 171, 14 dicit. Item de generibus disputatur K. VII p. 101, 12. 104, 19.

Cum Capro apud Priscianum interdum una conmemoratur Probus vel Plinius vel uterque. Quibus locis cum numquam non germanus Probus, i. e. Berytius, intellegendus sit, iam Hertz (adnot. ad Prisc. 171, 14) recte coniecit Valeri Probi libros a Prisciano non esse usurpatos, sed cognitionem eorum e Capri scriptis manasse. Et Romanus sane ap. Char. 118, 1 Caprum Valerio Probo usum esse testatur. Idemque Steupio »de Probis grammaticis« p. 190 sqq. placuit. Nec secus Plini notitiam plerisque certe locis per

[1]) Dubito num omnino Probus »de dubiis generibus« peculiarem librum conposuerit, praesertim cum de Probi libro sic inscripto aliunde nihil constet et Priscianus alibi genuinorum Probi scriptorum, quae in manibus non habuerit, nusquam titulos prodat. Tametsi Steup Probum quem fingit minorem (II) »de dubiis generibus« peculiare volumen scripsisse hoc loco fretus existimat (p. 193).

Caprum ad Priscianum redundasse pro certo habeo. Ac primum quidem iam Christ l. l. p. 171 e Prisc. 594, 24, ubi Plini verba per errorem Ciceroni tribuuntur, illius librum ei ante oculos non fuisse cum probabilitate coniecit (cf. etiam p. 168). Idemque Schottm. p. 7 suspicatus est, quia Plini dubii sermonis libri aliis locis indiligenter modo »ars« modo »artes« adpellantur. Adcedunt alia argumenta. Legimus enim p. 393, 8: »sed et eorum et superiorum omnium usus tam apud Caprum quam Plinium et Probum invenies« et p. 513, 7: »nanciscor etiam nactum facit absque n, ut Probo et Capro et Pollioni [1]) et Plinio placet«. His locis Plini mentionem iam apud Caprum exstitisse eo suadetur, quod Probi nomen, cuius notitia indidem hausta est, iuxta positum invenitur. Nimirum Priscianus, cum apud Caprum legisset ita fere »haec invenies apud Plinium et Probum«, auctoris sui nomen illis addidit. Quod idem cum apud alios scriptores tum apud Gellium (v. Mercklin in annal. philol. suppl. III p. 650) factum videmus, neque aliter saepenumero in scholiis Graecis coniunctio καὶ usurpatur.

Sed satis evidenter id quod coniectura conlegimus demonstrari potest. Nam Capro debentur Plini memorationes p. 233, 13 et 262, 18, quia libri VI potissimae partes ad illum referendae sunt (v. p. 40 sqq.). Omnino vero deinceps videbimus non solum in libro VI, sed etiam alibi in eis ipsis quae a Capro desumpta sint permulta inesse vestigia Pliniana. Denique etiam ex libellis de orthographia et de verbis dubiis quamvis conpendiosis et contractis Caprum Plinio usum esse cognoscimus. Confer enim

p. 95, 19 (K. VII) »nactus uno n scribendum, at nanciscor duobus« cum Prisc. 513, 7.

p. 100, 1 »calva κρανίον vocatur, licet Gellius et Varro calvariam dicant. nam et calvariae plurale est. calvae vero ossa [2]), quae sunt et singulariter calva« cum Charis. 138, 18 sqq. 139, 2.

[1]) Sine dubio Haupt (opusc. I p. 68 seqq.) recte censuit Pollionem grammaticum non segregandum esse a C. Asinio. Contrariam sententiam amplectuntur nullis argumentis propositis Bergk (philol. XXIX p. 329) et Steup l. l. p. 70 sq. Pollionis autem mentio a Plinio facta esse videtur, qui eum etiam ap. Charis. p. 134, 3 laudat. Discretionem reicit etiam Kirchner l. l. p. 502.

[2]) Fortasse conl. Charisio legendum est: »calvariae (»vero« omiserunt B C) ossa, quae sunt et singulariter calvaria« (sic B C!).

p. 107, 6 »acris et acer, quamvis dicant plerique acris femininum, acer masculinum: sic alacris et alacer« — leves inmutationes non mirandae sunt — cum Char. 114, 1.

p. 107, 9 »adulor illi« cum Pomp. K. V 233, 35 sqq: »Plinius Sec. dedit unam rationem: — — et adulo illum et adulor illi«.

p. 110, 3 »gibber vitium, homo gibberosus« cum Char. 85, 6, ubi Plinius istam Verri Flacci regulam oppugnat.

p. 111, 7 »horum retium, non retum, quia genetivus numquam pauciores syllabas habet quam nominativus« (ipsa Plini verba!) cum Char. 142, 12.

p. 110, 2 »frons et frontes hominum, frus et frundes[1]) arborum« cum Char. 130, 29.

Iam vero in perlustrandis eis quae Priscianus a Capro adcepit operam conlocare debemus idque agere, ut Pliniana quaeque expiscemur. De Capro autem Prisciani auctore iam Kirchner l. l. p. 516 licet nimis generaliter, tamen haud ita perverse sic existimat, ut »omnes locos, ubi melioris doctrinae atque lectionis antiquae copiae amplae habentur«, ei adtribuat. Sed nobis adcuratius est quaerendum.

De institutionum libro VI.

Ordiamur a libro VI institutionum, quem maximam partem e Capri libris haustum esse probabo. In quo quinquiens solummodo Caper in testimonium vocatur, p. 204, 6. 212, 5. 15. 260, 18. 264, 16, secundo loco ita, ut Caprum plura habuisse intellegamus. Praeter hunc — Herodiano et Apollonio, quibus Graeca exempla debentur, omissis — grammatici auctores laudantur hi: Verrius Flaccus 212, 16, (Valerius) Probus 213, 12. 236, 12 [?] (cf. Steup. l. l. p. 185), Plinius 233, 13. 262, 18, Caesar (in analogicis) 249, 3. 18. 250, 17, Arruntius Celsus 201, 1. 215, 14. 251, 13, Caesellius Vindex 210, 7. 229, 10. 230, 11, Suetonius 231, 8, Probus qui fertur (in catholicis, i. e. Sacerdos) 218, 22. 238, 5. 241, 10. 242, 1. 21. 249, 19. 250, 17. 257, 10. 259, 17, Gellius 259, 23, Donatus

[1]) »frus et frundes« in exc. Montep., cum ceteri codd. volgares formas exhibeant. In illis vero conl. Char. l. l. genuina scriptura servata esse videtur.

260, 17, Charisius 234, 16. 250, 17, Servius (ad Vergil.) 233, 14. 242, 5. 256, 14. 259, 22, Nonius 269, 24, (Theoctistus 238, 6.) Verri Flacci notitiam (aeque ac Plini et Valeri Probi) Capro deberi Priscianus ipse indicat. Quae ex Gelli Donati Charisi Servi Noni libris et e catholicis adferuntur Priscianus sine dubio inmiscuit. Quare hos etiam aliis locis, ubi nomen non additur, adhibitos esse opinari quis possit. Velut Steup l. l. p. 187, a Keil gr. L. IV praef. p. XXV dissidens, ea quae cum catholicis consonant non tam e conmuni fonte orta quam ex illis exscripta esse existimavit. Quamquam quisquis locos concinentes adtentius intuitus erit (cf. Prisc. 199, 14 »schema« cum cath. K. IV 6, 25; 206, 22 »homo« cum cath. 10, 28; 212, 4 »lac« cum cath. 7, 4; 244, 5 »Chremes« cum cath. 22, 24; 249, 9 »vis« cum cath. 31, 1), facile animadvertet, quae in catholicis brevius conmemorentur vel indicentur, apud Priscianum uberiora et et cum vicinis arte conexa et amplioribus exemplis inlustrata exstare, ut conmunis fons adgnoscatur necesse sit. Quid? quod p. 212, 4 e Capro (!) se hausisse ipse adserit. Idemque valet de p. 199, 14, ubi Plini doctrina (cf. enim Char. 53, 15) e Capri libro profluxisse existimanda est, nec minus de aliis conpluribus locis. Et simile quidem iudicium ferri oportet de plurimis locis qui cum Servio et Charisio et Nonio nomine omisso in universum concinunt. De his Schmidt, de Nonio Marcello p. 148 sqq. recte statuit concentum illum vel ad Plinium vel ad Probum vel ad Caprum referendum esse. Magnam vero libri VI partem Capro deberi ostenditur aliis testimoniis certissimis, quae hic adscribo:

Prisc. p. 209, 17 »Dido Calypso« = Char. 63, 20 et 117, 24, ubi Caper nominatur (118, 1).

p. 229, 10 »Iovis« = Pomp. K. V. 187, 10 »legimus in Capro: hic Iovis huius Iovis. etiam Naevius Attius Pacuvius omnes isti utuntur hoc exemplo«. Cf. Mai class. auctor. V p. 151.

p. 238, 8. 15 »femur femen« = Serv. ad Aen. X 344 »licet Caper in libris enucleati sermonis dicat femen, sed non ponit exemplum«.

p. 243, 12 »famē« = Pomp. 175, 28 »ubique enim apud antiquos sic legimus, haec fames huius famei, et inde venit ab hac famē — habes hoc in Capro de lingua

Latina, non de dubiis generibus«. — Eadem fere apud Sergium K. IV 496, 5.

p. 270, 4 = Prisc. 163, 21 »pecus, quod femininum haec pecus pecudis declinatur teste Capro, neutrum hoc pecus pecoris«. (Sic distinguendum est: nam utramque formam Caprum necesse est adgnovisse.)

Deinde id quod contendi de reliquis quoque optime constabilitur observatione quadam, quam ad Capri libros cognoscendos haud levis esse momenti credo. Nam insignem in modum l. VI concinit cum priore libri V parte, quae de generibus agit et e Capri libris de dubiis generibus hausta est (cf. p. 171, 14). Ac profecto eis exceptis, quae aut ab ipso Prisciano addita aut ab Apollonio vel Herodiano aut a Charisio Servio Nonio aliis petita sunt, inter cetera tanta similitudo et tam arta cognatio intercedit, ut utique necesse sit statuere in VI l. conponendo eiusdem Capri eundem librum de dubiis generibus, ad quem in V l. relegamur, esse exscriptum. Etenim non solum exempla praeceptaque haud raro eodem ordine digesta repetuntur, sed etiam eadem conpluries scriptorum testimonia adhibentur idque ita, ut modo in VI modo in V libro plura exstent. Itaque argumentis quae adtuli conparatis extra dubitationem positum esse arbitror maximam libri VI partem e Capri libro de dubiis generibus profluxisse: qui liber re vera p. 212, 15 laudatur. Pauca e libro de Latinitate s. enucleati sermonis admista sunt, velut p. 238, 15 »femen«, 243, 12 »famē« (v. supra).

Iam mihi liceat conscribere potissima eorum — omnia enumerare non opus est — quae concentum illum prae se ferunt. Sed locos tantum indicare possum.

p. 143,16 Turia = 201, 18 (utroque loco idem Sallusti exemplum):

145, 4 a, h, k = 201, 6
145,13 i = 204, 11
145,16 o = 205, 23

145,20 sqq.	Carthago, dulcedo	206, 2. 3	ordo	206, 14
			cardo	206, 10
	cupido	208,10	margo	208, 12 (idem Statii)

146, 1 sqq.	Manto	209,15	homo	206, 14
	Dido	209,17	leno, leo, draco, strabo	209, 6. 11
	Ruscino, Bubo	206,8. 9		
	Anio, Apollo	208,1.10		

146,16 c = 212, 4. 9
146,17 d = 213, 7. 14 (Livius)
147, 1 al = 214, 8
148, 4 am = 215, 11
148, 6 im = 215,13 (Celsus)
149,10 ar = 222, 1. 149, 13 Nar 222, 11. 223, 3 (Vergilius)
150,12 er = 223,17
152,17 alacer acer etc. 229, 20 (Vergilius, Naevius, Ennius)
154, 6 or = 234,18

154,18 sqq.	memor, immemor	235,10	marmor, aequor, ador, cor	236, 16
	indecor	235,15		
	bicorpor tricorpor	236, 5		

156,10 ĕs = 240, 6

156,14 sqq.	hebes	240,13	praepes, teres	240,12
	quadrupes	241,15		

161, 2 tricuspis 251, 8 (Ovidius)
161,26 us = 255, 14
162, 1 cupressus laurus cornus, quercus fagus pirus } 267, 1
162,10 acus 259, 9 (Lucanus, Iuvenalis)
163, 2 alvus 268, 16. 269, 2 ([Accius,] Vergilius)
163,11. 170, 14 penus 260, 17 (Plautus Lucilius, Horatius).

Haec eligere volui. — Iam facile intellegimus quo spectent Prisciani illa verba in VI libri praefatione prolata (p. 194, 11): »et haec modo compendii causa, postea vero deo vitam praebente de accusativo et ablativo singulari et genetivo plurali III declinationis, cum de obliquis tractavero casibus, multo labore inventa et

diverso auctoritatis usu approbata subiungam‹. Quibus inplicite neque obscure indicat in illo libro conscribendo non admodum magnam curam sese conlocasse neque multos auctores se consuluisse. Quae, cum Caprum — quem etiam in V libro licet alio consilio conpilavit — per maximam libri VI partem secutus sit, valde sunt consentanea.

His expositis id nobis agendum est ut Pliniana praecepta, quae in l. VI insunt, investigemus. Qua in re praecipue Romanus nobis auxilio est, qui inprimis Plinio ipso usus est neque Caprum adire neglexit. Priscianum verum Pliniana non e Charisio delibasse exempla ipsa docent, quorum discrepantiae eo explicantur, quod Romanus ab ipso Plinio, Priscianus a Capro sua desumpsit. Quae pro Plinianis habenda sint hic conligam.

Prisc. 199, 16 ›schema‹ = Char. 53, 15, ubi Plinius nominatur. Cf. Char. 144, 17, Nonium 224, 30 (ed. Mercerus). Apud Priscianum etiam secundum et tertium ›schematis‹ exemplum — de reliquis nihil statui potest — Plinio deberi puto, praesertim cum alterum aeque ac primum a Plauto petitum sit, tertium a Caecilio, qui etiam in Charisi posteriore loco laudatur. Nonius, apud quem testimonia vocis ›schematis‹ in serie Plautina insunt, e conmentario hausit (v. Schmidt l. l. p. 27. 34 sqq.), ut omniane Plini sint dignosci nequeat.

Prisc. 201, 8 (= lib. V 145, 5) de ›mille‹ conparari possit cum Pomp. K. V 172, 11, ubi Plinius laudatur (cf. etiam eundem 185, 18) et Cledon. 45, 11, ubi Plini nomen a Keilio recte restitutum est; tametsi nimis exilis illa doctrina videtur.

Prisc. 207, 17 ›turbo‹ = Char. 144, 30 (›inquit Plinius‹). Cf. etiam Serv. ad Aen. I 83 et VII 378, ubi idem Horati exemplum atque apud Priscianum legitur.

Prisc. 212, 4 ›lacte‹ = Char, 102, 4, quem locum p. 26 Plinio vindicare conati sumus.

Prisc. 216, 13 sqq. ›Arabs‹ = Char. 123, 8. Praeter exemplum Vergilianum Prisc. 217, 5 = Char. 123, 9 et alterum Prisc. 217, 7 = Char. 123, 16 equidem etiam ea quibus ›Titan‹ ›Aethiops‹ ›elephas‹ inlustrantur Plinio adsignare ausim, priora ideo quod a Plauto (216, 14) et Lucilio (217, 8) desumpta sunt, a quibus Plinius apud Char. in voce ›Arabis‹ testimonia mutuatus est. Deinde

etiam de ›Titane‹ eum disseruisse e Char. 145, 5 scimus, et titulum ›elephans‹ ibid. 127, 22 Plinianum esse iam p. 22 suspicatus sum.

Prisc. 224, 18 ›Euander Teucer‹ = Char. 128, 1, quem titulum conlato Char. 120, 4 iam p. 22 Plinio tribuimus. Exempla autem Vergiliana, quia ap. Char. Maro laudatur, a Plinio proposita putanda sunt.

Prisc. 246, 12 de genetivo sg. III decl. in is et i = Char. 132, 17, ubi Plinius in libro VI citatur. Pariter atque hic apud Priscianum Graeca regula conparatur — etsi forma i terminata non recte pro dativo habetur — et Vergilianum exemplum ›acris Oronti‹ (247, 3) exhibetur.

Prisc. 254, 6 ›ossu‹ e. q. s. pro Plinianis habenda sunt. Primum enim Plinium de forma ›ossu‹ disputasse conperimus e Char. p. 139, 4, qui tamen exempla apud Prisc. servata omisit. Deinde vero quae l. l. exstant vix ex alio fonte prodiisse putaveris atque p. 318, 3 ›ossum‹: quae conlato Char. 138, 17 sqq., ubi idem Gelli exemplum licet alio libri numero addito producitur, Pliniana esse adparet.

Deinde consideranda sunt ea quae apud Prisc. 257, 18 sqq. de genetivo in us vel i exeunte exponuntur. Ubi quatuor priora exempla a Terentio petita sunt. Id quod deinceps subsequitur Sallustianum ›senati decretum fit‹ utique Plinio debetur (cf. Char. 143, 14). Iam vero horum plurima apud Nonium reperimus, quae adscribam.

ornati, tumulti	Non. 484, 1	(idem Terentianum)
quaesti	483, 22	(idem Terentianum)
senati	484, 15	(aliud Sallustianum)
victi	484, 9	(idem Plautinum)
gemiti	487, 21	(idem Plautinum).

Haec vero, quia in serie Plautina insunt (v. Schmidt l. l. p. 31), ex uno eodemque conmentario hausta esse coarguuntur, qui conmuni cum Prisciano fonte usus esse putandus est. Conmunem vero auctorem, etiamsi apud Nonium aliud exemplum Sallustianum legimus atque apud Priscianum, tamen, quia unum apud hunc exemplum, quod cum ceteris arto vinculo conexum est, certo Plinianum est, neminem alium fuisse nisi Plinium veri simile duco. Quem

Terenti quoque studiosum fuisse e Char. 142, 18. 21. 31 et Prisc. 262, 19. 21 novimus.

Quodsi sententia mea stat, et Charisium (Palaemonem) 22, 18 (= exc. Char. 539, 12) indidem hausisse putaverim nec non fragmenti Bobiensis auctorem K. V 555, 6. Apud hunc autem subiungitur aliud Terenti exemplum »eius anuis (»anuï« cod.) causa«, quod sine dubio ex eodem fonte profluxit atque cetera (cf. Char. 54, 31 sqq.), i. e. mea sententia ex Plini libris. Id quod etiam seorsim probare conabor, quo ea quae de Prisciano dixi muniantur. Atque idem quidem testimonium in eadem quaestione adfertur et a Prisc. 268, 11 = 363, 1 et a Gellio noct. Att. IV 16, 2, qui Capro non usus est. At conmunis fons isque Gelli aetate superior subesse debet. Kretzschmer »de auctoribus A. Gellii grammaticis« p. 97 — adstipulante Hertzio in annal. philol. vol. 85 p. 797 — probabilibus argumentis demonstravit Caesellium Vindicem in illo capite a Gellio esse adhibitum. Sed cum frg. Bob. auctorem neque demonstrari possit ex Vindicis libris hausisse et Plinio usum esse dilucide appareat [1]), deinde cum Vindex quoque e Cassiodori excerptis vel tenuissimis coarguatur Plini copias in usum suum convertisse [2]), frg. Bob. et Gelli locum e Plinio pendere censeo. Adcedit quod apud Gellium l. l. ea quae de genetivo uis terminato dicuntur: »M. Varronem et P. Nigidium — comperimus non aliter locutos esse et scripsisse quam senatuis, domuis, fluctuis« nos ultro admonent similium apud Char. 143, 12: »senatuis ut fluctuis. ita genetivum, inquit Plinius, declinabant«. — Iam vero, si fragmenti Bobiensis auctor Plinio etiam illo illo usus est, idem de Prisciano insuper confirmatur.

---

[1]) Quae de abl. sg. III decl. K. V 560, 11 sqq. docentur, in quibus v. 30 Plinius nominatur, iam Brambach, Lat. Orth. p. 166 huic recte omnia adsignavit. Quibuscum coniungenda sunt alia p. 562, 35. Deinde cf. 556, 17 sqq. praecipue »virum« cum Servio ad Aen. II 18: »virum pro virorum, qua figura et in prosa utimur. dicit sane Plinius hoc in neutro non esse faciendum, scilicet propter casuum similitudinem, nisi forte nimia metri necessitas cogat«. — Quae secuntur de dativo in »abus« desinente cf. cum Char. 129, 13; p. 558, 8 »il« (pugil, vigil), 19 »ul« (consul) cum Char. 136, 22.

[2]) Idem Lucili locus qui apud Char. 78, 10 a Plinio laudatur (de genetivo »Numeri«) in Cassiodori excerptis K. VII 206, 26 significatur licet — fortasse excerptoris culpa — non recte explicatus.

Restat ut de Prisc. 262, 23 sqq. (»sinum«) pauca addam. Hunc enim locum, quia Plini nomen prope antecedit, Schmidt, de Nonio p. 101, ubi de simili Noni loco (p. 547, 19 M.) disserit, Plinio deberi putat: id quod non probabile esse arbitror. Nec vero Asper, qui de eadem voce in scholio Veron. ad Vergili eclog. VII 33 (cf. Servium ad eundem locum) conmemoratur, verus auctor est, cum ab hoc ob causas quas explicabo Nonius sua mutuatus esse nequeat. Omnino Nonius illum titulum e conmentariis Vergilianis non delibavit, quippe qui in serie Varroniana (»de vita populi Romani« et »de re rustica« in censum veniunt) insit (v. enim p. 544, 4. 6. 8. 14. 545, 27. 546, 2. 7. 9. 13. 32. 547, 4. 15. 21. 24. 31). Ac recte sine dubio Schottmüller (symb. philol. Bonn. p. 832) et Schmidt l. l. p. 131 censent omnia exempla e Varronis libris de re rustica, de vita populi Romani et Cato s. de liberis educandis petita, quae multorum capitum in fine subiecta sint, postremo a Nonio una esse addita. Sed iniuria Schmidt p. 132 ista exempla ab ipso Varrone petita esse statuit, id quod eo iam refutatur, quod apud Priscianum non solum idem Varronianum sed etiam idem Vergilianum exhibetur, quae ambo ex uno fonte fluxisse necesse est. Neque alia Varronis scripta ipse excussit. Eum vero fontem, in quo praecipue Varronis tria illa scripta usurpata erant, non artem grammaticam, sed librum aliquem ad victum cultumque et veterum usum spectantem fuisse censere oportet, praesertim cum Varronis verba non ut alias explicentur sed ad res expositas inlustrandas et confirmandas adhibeantur. Ex illo autem libro et Nonius et Priscianus (Caper) et Asper sua petiverunt. Id quoque Nonium non Varrone usum esse docet, quod apud illum similem in modum atque apud Priscianum Varronis verba (apud Vergili conmentatores pleniora) mutilata leguntur. Neque Priscianus e Noni libro hausit, quia quae plura habet de i vocalis quantitate et testimonium e Plauti Curculione petitum cum Aspro et Servio congruunt. Iam vero cum Prisciani l. l. principio non ex arte grammatica provenerit, nihil est cur de Plinio cogitemus. Immo Hertzi sententia (annal. philol. vol. 85 p. 798) de Suetonio Noni — simulque ceterorum — auctore mihi admodum probabilis videtur.

De institutionum libro VII.

Transeamus ad VII librum, in quo aeque atque in V et VI inprimis Capri libri magnas copias suppeditarunt. Quem etiamsi semel tantum nominatim adlatum invenimus (p. 322, 2), tamen maximae partis auctorem fuisse tum maxime manifestum fit, si ea quae cum V et VI libro concinunt consideramus. De quibus ex eis quae supra exposui ita statuendum est: quaecumque cum V libro congruant, e libro de dubiis generibus, quaecumque cum VI conspirent, aut ex illo aut e libro de Latinitate promanasse.

Ipsius Prisciani testimonio Capro deberi arguuntur p. 337, 9 sqq. quae de populorum nominibus as vel atis, is vel itis et similiter terminatis leguntur, quippe quae cum p. 129, 7 et 134, 2, ubi Caper testis adfertur, conparanda sint. Ea vero quae cum V et VI libro consonant sunt haec:

p. 283, 2 de terminationibus = VI 195, 11
— 13 Aepy = VI 195, 17 (Statius)
— 16 de terminationibus V 142, 19
286, 5 Sosia Byrria Chaerea Marsya etc. { V 143, 9 / VI 202,12 }
287, 3 Italia Lydia Phrygia Syria VI 202, 17
— 12 de adcentu VI 202, 18 (Statius)
290,12 de ablat. I in ē VI 248, 11
Achate VI 248, 12 (Vergilius)
Arachne VI 248, 14 (Iuvenalis)
295, 3 Hiberus VI 234, 1 (Lucanus)
— 15 Panthous Alcinous } VI 273, 1 (Horatius)
300,18 Teucrus Euandrus VI 224, 18 (Vergilius)
301, 2 puerus VI 231, 13
303,21 alīus VI 226, 23. 266, 17 (Caesar, Caelius)
316,16 miles V 156, 15 (Ovidius)
— hospita — (Lucanus, Vergilius)
— sospita — (Ovidius)
(cf. Prisc. 342, 16, Char. 100, 20, Serv. ad Aen. III 539)
317,20 Aris delphis VI 219, 8 (Cicero pro Scauro)
319,11 glans VI 281, 15 (Ovidius, Lucretius)

321, 2 scrobes V 168, 6 (Plautus in Amphitr.)
— 20 adeps — 16 (Varro rer. rust. II)
330,20 Palla VI 239, 17 (Vergilius)
339, 8 bipennis V 160, 6 (Vergilius)
— 12 par VI 223, 7 (Vergil. Lucanus)
348, 1 victrix V 166, 5 (Lucanus)
349, 6 Achate VI 248, 12 (Vergilius)
— 13 famē VI 243, 12 (Vergil. Iuvenalis)
(cf. Serg. K. IV 496, 5 et Pomp. K. V 175, 30, ubi Caper laudatur).

Iam vero quaeramus quae ex hoc libro Plinio sint adsignanda.

p. 300, 18 »Teucrus Euandrus« = Char. 128, 1 (v. p. 22).

p. 309, 12 quae de festorum dierum nominibus exponuntur Plini ap. Char. 143, 19 admonent. Quem conpertum habemus praeter rationem i. e. analogiam, quae ium commendaret, auctoritatem non prorsus reiecisse (v. Char. 62, 15 et 146, 31 et quae supra p. 21 de his locis disputavi).

p. 315, 13 »plures, compluria« = Char. 125, 3, ubi Plinius de eodem exemplo Terentiano disserens laudatur. Similia habes apud Prisc. p. 89, 5 et 350, 11.

p. 318, 3 »ossum« iam supra p. 45 conlato Char. 138, 17 sqq. Plinio vindicavimus. Idem Cn. Gelli rerum scriptoris exemplum etiam in Capri de orthogr. libello K. VII 100, 1 intellegendum est, ubi »Gellius« e »celius« recte restituit Peter hist. Rom. reliq. p. CCXXXIV (v. etiam p. 39 adnotationem meam).

p. 326, 24 »lacte« concinit cum Prisc. 212, 4 et Char. 102, 4, de quibus locis p. 26 et p. 44 existimavi.

p. 331, 16 »mare«. Haec eis quae apud Char. 137, 12 exstant adeo congrua sunt, ut forte quis illinc ea translata esse arbitretur. Quod tamen nego cum omnibus ceteris respectis tum p. 318, 4, ubi de Gelli exemplo, nisi libri numerus differret, idem praeiudicari posset. Adcedit quod nostro loco Varronianum de gente p. R. et Plautinum e Cistellaria deest, contra aliud Plautinum e Rudente additum est. Quod pariter Plinio deberi videtur.

Praeterea vide quae de abl. sing. III decl. disputantur. In quibus haud dubie vestigia Pliniana insunt, velut quae p. 335, 15 et 347, 12 de nominibus propriis ex adiectivis factis traduntur. Confer enim exempla »Martialis Annalis Iuvenalis Felix« cum Char.

130, 25 ›Felix‹, 133, 5 ›Iuvenalis‹, 146, 17 ›Utilis‹ et aliis abl. sg. III exemplis, quae omnia ad Plinium pertinent. Quod contendo eo certissimum redditur, quod Priscianus altero loco (347, 13) de vocibus ›rudis‹ disserens prorsus Plini praeceptum refert quale conperimus e Charis. 142, 10 et 143, 1.

Plinio porro adiudicare licet id quod Prisc. 350, 24 de ›aplustre‹ (cf. Char. 122, 13) tradit, praesertim cum hoc vocabulum a ceteris grammaticis, quod sciam, non tractetur.

Inter Prisc. 355, 1 sqq. ›parent(i)um‹ et Char. 138, 10 Plinium laudantem, etiamsi regula proposita non plane eadem est, propter Ciceronem utroque loco laudatum cognatio quaedam intercedere videtur.

Denique nonnulla addam de Prisc. 363. Ubi exempla ad gen. et dat. sg. IV decl. pertinentia ex uno eodemque fonte profluxisse suadet Gellius noct. Att. IV 16, apud quem ›anuis‹ (2) et ›concubitu‹ (7) eisdem testimoniis conprobantur. De illis igitur idem valet quod p. 46 de ›anuis‹ voce dixi. — Cum Gellio etiam Nonius 501, 23 consentit.

De institutionum libris VIII. IX. X.

Institutionum libros VIII. IX. X. in quibus de verbis disseritur et multa insunt quae cum Diomede conspirent, e Capri libris — scilicet de Latinitate — fluxisse iam p. 29 monui et hoc loco uberius ostendam. Ad Caprum in his libris duodeciens provocatur (391, 1. 393, 9. 13. 436, 7. 490, 9. 500, 6. 508, 28. 509, 22. 513, 7. 524, 12. 530, 18. 535, 1) idque nonnumquam ita ut permulta ei deberi in propatulo sit, velut p. 393, 9: ›sed et eorum et superiorum omnium usus tam apud Caprum quam Plinium et Probum invenies‹. Ex octavo vero libro cognoscimus in Prisciani fonte verba per literas digesta fuisse (cf. p. 379, 4. 380 sqq. 391, 1. 392, 11. 396, 11), quem ordinem a Capro institutum esse p. 391, 1, ubi eius nomen additur, prodit. Idemque in V libro praecipue p. 169 sqq. cernitur, ubi multa exempla sub finem brevius enumerantur, post quae Prisc. 171, 14 haec subicit: ›Supra dictorum tamen nominum usus et apud Caprum et apud Probum de dubiis generibus invenis‹. Quodsi nonnumquam iustus ordo perturbatur, id partim Prisciano dandum

est, qui exempla verborum interdum ultro citroque oculis perlustravit, velut p. 392, 8 sqq., partim Capro, qui nonnumquam exemplo alicui tractato similia atque cognata subiunxit, id quod etiam in V libro animadvertimus (v. p. 169, 10 cupressus platanus populus laurus — 15 lepus agnus leo — 18 Tiberis amnis — 170, 4 Histrum Rhenum Tanagrum etc., cum sequentia recte procedant: **i**ubar **l**iquor **p**apaver **p**enus **p**ecus **r**ete **s**exus **s**pecus **s**al). In VIII libro literarum ordo eo insuper obscuratur, quod vox primaria quae pro lemmate erat omissa est, velut p. 396, 19 ›nequit‹ post ›quit‹ conlocatum erat, p. 379, 5 ›consequor‹ post ›assequor‹. Deinde p. 382, 1 sub litera a iam ›testari‹ tractatur propter cognatum ›antestari‹, quod ideo verbo ›exsecror‹ excipi videtur, quod post ›antestor‹ et ›testor‹ ›detestor‹ illius synonymum propter perfectum passivom huc pertinens adlatum erat. Atque alia similiter se habent. Quae verba p. 379, 4 sqq. enumerantur, eorum testimonia in sequentibus pagg. eodem fere ordine exhibentur, utrobique autem iustus ordo tantummodo usque ad literam f servatus est. Deinde ea series quae p. 392, 16 litera m abrumpitur, p. 396, 11, ubi verba eodem spectantia tractantur, excipitur et ad finem producitur usque ad ›utor‹ v. 25, postremo denique nonnulla iterum ab m orsa adduntur.

Haec igitur omnia quae literarum ordinem produnt ex eis quae dixi Capro tribuenda sunt. Contra extra literarum ordinem Capri copiis nonnulla aliunde hausta a Prisciano inmista esse dilucide ostendi potest. Velut p. 390, 7 conpluria exempla a solo Vergilio deprompta ponuntur, quibus p. 390, 26, ubi Capri series quamvis post breve initium praerupta incohatur, ›vetustissimorum‹ usus opponitur. Sed graviora accedunt. Nam ›nutritor‹ et ›bellor‹ cum eisdem exemplis Vergilianis repetuntur non solum p. 393, 16 — ubi plura Vergiliana subsecuntur — sed etiam vol. II 364, 11 (XVIII institutionum libro), ubi Caper omnino non adhibitus esse videtur. Attamen putaverit quispiam Priscianum pauca illa semel e contextu diripuisse et postea se ipsum exscripsisse: id quod luculenter redarguitur conlato Servio ad Aen. XI 660, ubi aeque atque apud Priscianum p. 390 ›bellor nutritor praecipitor‹ una conmemorantur eisdemque testimoniis inlustrantur, unde Priscianus illa non e serie alphabetica arbitrio elegisse evincitur. Porro apud Servium ad Aen. I 104 invenis iterum ›bellor

praecipitor« et praeterea »avertor« ibidemque I 4 »bellor populor,« quorum posterius etiam Prisc. II 364, 10 praebet. Unde Priscianus ll. ll., praesertim quibus sola Vergiliana eaque extra literarum ordinem proponantur, Vergili commentatore si minus Servio, antiquiore fortasse quodam usus esse coarguitur. Atque sane praeter Servium etiam Donati commentarii in Vergilium ab eo laudantur II 61, 20. 266, 16. Eiusdemque originis plura Vergiliana extra seriem literarum posita credo esse, velut p. 395, 26 »mereo«, quod cum Servio ad Aen. IX 256 et IV 82 (ubi etiam Lucanus laudatur) consonat. Deinde cf. Prisc. 397, 12 »dureo duror« cum Serv. ad Georg. I 91 et Prisc. 398, 8 »liqueo liquor« cum Serv. Aen. III 28 et Georg. I 44, quem locum laudans Priscianus non minus quam Servius de quantitate i literae disputat et vocis explicationem adicit (»pedetemptim dissolvitur« — Servius: »defluit [resolvitur]«), quae e commentariis potius quam e Capri libro profluxisse videntur. Sed haec indicasse satis sit. Iam vero eis quae in libro VIII ex Capri copiis hausta probabiliter Plinio tribuantur segregandis operam demus.

Ac primum quidem in verborum generibus sive »significationibus« definiendis Priscianus cum Plinio consentit. Grammatici enim recentiores volgo plus duo genera distinguebant, velut in institut. art. K. IV 156, 10 octo, in Donati arte 383, 1 et 359, 33 quinque genera totidemque apud Serv. in Donat. 413, 35 enumerata reperimus. Contra Plinium duas tantum »significationes« admisisse Pompeius K. V 227, 23 sqq. maximeque 228, 4 distincte docet. Qua in re ille Varronis auctoritatem secutus est, qui de ling. Lat. X 33 p. 247 M. »faciendi« et »patiendi« verba discernit (cf. etiam Quintilian. IX 3, 7). Pompeius autem de Plini ceterorumque doctrina verba faciens haec subiungit (228, 2): »sed qui dicunt duas esse significationes, agentis et patientis, tenent se ad illas res quas dixi, i. e. Plinii Secundi definitionem«. Verum aliud praeterea nobis testimonium de hac re servatum est a grammatico recentissimo Gainfredo in Mai class. auctor. V p. 150: »significatio verborum Plinio Sec. testante proprie in actione vel passione est«. Quocum ad verbum fere congruit Prisc. 373, 10: »Significatio vel genus quod Graeci affectum vocant verbi in actu est proprie — vel in passione«. Hanc eandem definitionem Prisc. vol. II (part. XII vers. Aen.) 482, 29, postquam Donatum laudavit, respicit:

»secundum alios [verbum est] pars orationis cum tempore et modis sine casu actum vel passionem significans«.

Transeamus ad ea verba quae p. 379 sqq. enumerantur quorumque usus testimoniis conlectis confirmatur. Prisciani verba p. 393,9 non ita intellegenda sunt tamquam Caper et Plinius et Probus prorsus eadem exhibuerint, sed, quod iam probavi, Caprum Plinio et Probo auctoribus usum esse ostendunt. Priscianus vero ex amplioribus Capri copiis sibi suppeditantibus pauca tantum se delibasse ipse confitetur, id quod etiam ex exilibus verborum enumerationibus elucet. Quare in his certe si insunt quae a Plinio tractata esse constet, etsi aliud exemplum adpositum invenimus, tamen cum probabilitate illi vindicabimus. Atque promenda videntur haec.

p. 380, 1 »adulo«. De hac voce Plinius egit teste Pompeio 233,35: »plane in isto verbo Plin. Sec. dedit unam rationem — et adulo illum et adulor illi«.

p. 380, 4 »auguro«. Hoc loco idem exemplum Vergilianum exhibetur ad cuius explicationem Servius Plinium adhibet (Aen. VII 273) quodque propterea a Plinio adlatum esse videtur. Quod L. Caesaris exemplum ap. Prisc. in Plini regulam (»auguro dicimus secundum Plinium, cum praesagio mentis futura colligimus, auguror vero tunc, cum futura veris captamus auguriis« Serv. l. l.) non convenit, nihil valet, quia ille etiam exceptiones adiungere solebat. — Vergili l. l. etiam apud Nonium 469,12 occurrit.

p. 385,14 »medito« (cf. p. 567, 14). Plinius apud Diomed. 377,18 quaerit quid intersit inter »meditor« et »meleto« — »et putat Plinius meditantem esse secum cogitantem, meletantem cum voce discentem«. — Verbum »meleto(r)« sive »melito(r)« perrarum est et a Servio ad Vergili ecl. I 2 ad Graeci μελετᾶν analogiam fingitur. Praeterea non inveni nisi in Gothofredi gr. Lat. p. 106 et in anecd. Helvet. 289, 11 ubi tamen aliud discrimen statuitur: »meditamur animo, melitamur corpore«.

p. 393, 14 »comperio(r)«. De hac voce etiam Diomedes 377, 16 disputat Plinio, ut videtur, auctore. Nam ut paulo post huius mentio subsequitur, ita Scauri »de vita sua« conmemoratio proxime antecedit, quam iam p. 31 una cum reliquis Plinio tribui.

Sed his paucis contenti simus. De ceteris enim, quamvis

plura Plinio deberi ex ipsius Prisciani testimonio eluceat, nihil ne probabile quidem eruere contingit.

Etiam IX et X librum magnam partem ad Caprum redire cum citationes eius non rarae tum consensus cum Diomede ostendunt. Sunt autem loci dilucide consonantes hi:

lib. IX.	469,13	nexo	= Diom. 369, 19 (Probus ap. Prisc.)
	470,21	neco	„366, 5
	471, 3	lavo	381,12 (cf. Prisc. 403, 3)
	489, 1	adolesco	373,18
	490, 8	deleo	375,27 (Probus et Caper ap. Prisc. — De Diomedis testimoniis conruptis v. Keili adnot. crit.)
lib. X.	494,15	aio	= Diom. 374, 4
	500,20	pario	„383, 5 (cf. Prisc. 401, 5)
	511,25	parco	368,10 (Plinius ap. Diom.)
	513, 1	expergo	376,12
	519,22	pando	377,21
	520,16	ostendo	376, 3 (Rutil. ap. Diom.)
	522,19	comedo	387, 5
	525, 4	neglego	369,15 (v. p. 31)
	527,23	alo	375,14
	529, 4	occino	374, 1 (Prob. ap. Prisc.)
	— 24	relino	370, 7
	535,21	pinso	373, 7 (Prob. ap. Prisc.)
	538, 1	nexo	369,19
	— 29	sancio	371,19 (Pompon. ad Thraseam)
	540, 8	pario	383, 5
	— 15	salio	374, 5
	541,19	aio	374, 4 (Prob. ap Prisc.)
	546,12	sallio	375,20 (Fabian. ap. Diom.)

Qui haec perlustraverit statim intelleget Priscianum ea e Diomedis libro — quamvis hunc inspexerit p. 470, 13. 485, 20 et alibi — non potuisse haurire (cf. p. 29), quo adcedit quod Caper Probus Plinius testes adferuntur. Plinius, etiamsi nisi p. 513, 8 de forma »nactus« non conmemoratur, tamen saepius praecepta suppeditavit. Certo enim Plini sunt quae ap. Prisc. 511, 23 sqq. de »parco« referuntur, ubi adeo sicut apud Diomedem Varro in Laterensi laudatur. Deinde si quidem in superioribus recte existimavimus de »ostendo« et »sancio«, quos

locos propter auctores a Diomede exhibitos Rutilium (v. p. 30) et Pomponium ad Thraseam (v. p. 31) Plinio adscribere conati sumus, idem nimirum de Prisciani locis respondentibus valet. Atque etiam »sallio«, cuius apud Diomedem Fabiani exstat testimonium, ex eis quae p. 24[1]) disserui, praesertim cum argumento cum ceteris (»sal«) cognatum sit, sine magno periculo eidem adiudicare licet.

De Papiriano et Plinio.

Postquam conplures institutionum libros deinceps excussimus et Pliniana vestigia quatenus licuit detegere conati sumus, viam initam relinquamus necesse est et eos locos consideremus quibus Plinius praeterea nominatur. Restant enim nonnullae Plini conmemorationes etiam nunc tractandae, quas a Capro petitas esse nego. Quarum quatuor exstant in I libro p. 26, 16. 29, 9. 18. 31, 2, una in XII p. 594, 23. Primi autem libri maxima pars non Capro debetur, qui illic ne nominatur quidem. Ac disputatur ibi non de vocabulorum declinationibus, sed de orthographia. Quis vero praecipue auctor adhibitus sit non admodum difficile est ad eruendum. Primum enim ei auctores eliminandi sunt quibus Priscianum non usum esse vel per se consentaneum est vel ipsius testimoniis confirmatur. In quibus sunt Varro p. 8, 2. 15, 4, Varro et Macer (teste Censorino!) 13, 9, Caesar (apud Victorem!) 14, 13: hunc enim locum Nipperdeius (edit. p. 754) in Iuli Caesaris analogicorum fragmenta iure recepit, cum 15, 5 (de ⊣) aeque ac 33, 4 Claudius Caesar inperator intellegendus sit (cf. Quintilian. I 7, 26, Brambach, lat. Orthogr. p. 27). Remmius Palaemon et Grillius 35, 27 ideo fortasse consociantur, quia ille ab hoc recentiore grammatico laudatus erat. De Didymo 15, 4 nihil certi adfirmare ausim (v. Hertzi adnot.) Deinde vero sicut Grillius singulis tantummodo locis, ut res ipsa docet, adhibiti nonnulli alii laudantur: Donatus 7, 16, Censorinus 13, 9. 19, Victor 14, 13, Quintilianus 18, 12, Servius 8, 15, Eutropius 8, 19, Nonius Marcellus 35, 21. Tum nominatur Astyages 15, 9 (»qui diversis hoc ostendit usibus« e. q. s.), cui omnia Aeolica quae de digammo adferuntur merito adsignavit M. Schmidt (zschr. f. d. gymnasialwesen a. 1854 p. 127), qui de eius scriptis haec profert: »Astyages war für spätere hauptquelle

über das aeolische digamma. vielleicht schöpfte er aus Trypho und verdrängte seine arbeiten. mit ausnahme des hypomnems zum Kallimachus stimmen die titel seiner schriften mit denen Tryphos überein«. Iam vero restant hae conmemorationes: 26, 16 Plini; 27, 11 Papiriani de orthographia; 29, 9. 18 Plini; 31, 2 Plini et Papiriani et Probi. Atque ex eis locis quibus Papirianus adpellatur conicere licet non pauca ab eo desumpta esse, praesertim cum dedita opera de orthographia scripserit. Namque ut de o et u atque de m et n exempla adlata Papiriano debentur, ita etiam aliis locis, ubi nullo alio auctore nominato prorsus similem in modum exempla ad orthographiam spectantia regulaeque similes proponuntur, eundem exscriptum esse valde probabile est. Plini vero memorationes ab eodem Papiriano in hoc libro petitas esse censeo, quia illius librum etiam alias Prisciano non prae manibus fuisse vidimus et pariter atque in ceteris libris cum Capro hic cum Papiriano (et Probo) p. 31, 2 Plinius una in testimonium vocatur, unde eum iam a Papiriano laudatum esse conligere in promptu est. Confer etiam p. 26, 16 sqq. ea quae de u pro o proferuntur (»o aliquot Italiae civitates teste Plinio non habebant«) cum eis quae 27, 9 de o pro u (»u quoque multis Italiae populis in usu non erat«) dicuntur, qui duo loci manifesto ex eodem fonte fluxerunt: tametsi altero loco Plinius, altero Papirianus de orthographia citatur. Denique sententia mea conl. p. 594, 23 constabiliri videtur. Ubi Priscianus de pronominibus agens res adaeque ad orthographiam pertinentes inmiscet et de cacemphato »cum nobis« evitato Plini verba refert, quae utpote Ciceroni perperam adtributa non ab ipso Prisciano exscripta esse iam Christ recte statuit. Iam vero, quod non casu factum esse crediderim, proxime antecedit (p. 593, 15) Papiriani mentio rursus de rebus orthographicis facta, ut inter Plinium et Papirianum sane necessitudo quaedam interior qualem nos conicimus intercessisse videatur.

Papirianus etiam a Cassiodorio (K. VII p. 158 sqq.) defloratus est, de cuius excerptis nonnulla dicere opus est. Cassiodori epitomae magni nobis pretii sunt, quia multas antiquae doctrinae praecipue Varronis reliquias continent. Verum excerptoris nec diligentiam nec rerum grammaticarum notitiam satis magnam fuisse dilucide adparet. Inscitiae enim eius e. g. tribuendum est quod Caesellium et Caecilium Vindicem pro duobus diversis auctoribus venditat, quoniam utroque nomine nemo alius significatur nisi Caesellius Vindex (cf. Graefenhan, kl. philol. im alterthum IV p. 68, Keil gr. L. VII 139). Neglegentia autem eius in eis potissimum quae ex Prisciani institutionibus excerpta sunt (p. 207 sqq.) demonstrari potest. Ubi nonnulla adeo inmutata et aucta sunt, ut ab illo prorsus abhorreant (cf. e. g. 207, 24 »beatus«, quae apud Priscianum non exstant. — Keil »hiatus« coniecit —, 208, 13 »samguis« cum Prisc. 32, 9). Et aeque fere neglegenter idem alias interdum egit (cf. K. gr. Lat. VII 136). Sed nonnulla iam Cassiodori fontibus culpae danda sunt, in quibus haud pauca ab excerptoribus exaequata et alienis aucta esse videntur. Ipse enim Cassiodorius ad similitudines et concentus »amantissimorum orthographorum« (! p. 144, 14) animum advertit (p. 147, 16). Qui tam insignes sunt, ut ad conmunes fontes referri vix possint. Nam, ut exemplo utar, etiamsi fieri non nequivit ut Caesellius Cornutum, Papirianus Caesellium adhiberet auctorem, tamen non casu factum esse potest ut in excerptis qualia nunc prostant, adtenuatis iterumque contractis ipsa verba identidem conspirent, velut Cornut. 152, 3. 152, 6. 151, 13 = Caesell. 203, 11. 203, 22. 207, 7 (Caecil. Vindex); Papirian. 159, 14. 162, 12 = Caesell. 203, 14, Caecil. V. 207, 7. Multa vero alia apud alios consonantia Keil in imo margine adnotavit.

Apud Papirianum conpluria consentiunt cum Velio Longo, cuius etiam nomen p. 161, 7 exhibetur, sicut Caeselli p. 161, 17. Praeterea autem nominatur Donatus 161, 14 et Gratus 164, 19, cuius nomen conruptum videtur. Quorum testimonia a Cassiodorio iniecta esse arbitror. Quod nimirum de Varrone 159, 8. 23 non valet.

Si ea quae dixi reputaverimus neque neglexerimus quod ea quae Prisc. I pag. 503, 16 (»tam ungui quam unxi«) Papiriano adscribit non cum Cassiod. 165, 6 (»unguo vero non ungui, sed unxi facit«) congruunt, id certe iure censebimus non omnia quae in excerptis exhibeantur vere Papiriani esse. Attamen inveniuntur quae cum Prisciani libro I conspirent: qua re id quod contendi, Papirianum saepius illic usurpatum esse, constabilitur. Confer enim

Cassiod. 158, 10 ai et ae cum	Prisc. 37, 13
— 15 cu et qu	36, 12
159, 22 bs, ps (ψ)	33, 4. 43, 5

Cassiod. 160, 10 quicquam cum	Prisc. 35, 1	
162, 6 improbus, imbuit	31, 2	(ubi Papirianus nominatur!)
162, 7 ignarus, ignotus	30, 9.	

Genuina vero Papiriani duo frustula nobis servata esse arbitror quae post Keilium Hagen edidit in anecd. Helvet. p. CCLII sqq. Quorum primum et tertium ad orthographiam pertinent. Nam Hagenum iure adfirmare »Paperinum« e »Papiriano« esse depravatum inde satis probari credo, quod ea quae p. CCLII frag. I, 8 de ultimae syllabae amissione in adverbiis »istoc illoc istac» etcc. proferuntur a Prisc. I 593, 14 Papiriano inputantur.

Iam vero quaeramus quae in I institutionum libro praeter ea quae indicata sunt Pliniana per Papirianum ad Priscianum pervenerint. — Rara quidem et subtilia sunt quae Plinius p. 29, 9 de literae l diversis sonis docet. Prorsus autem easdem argutias prae se ferunt quae de m et n consonarum enuntiatione p. 29, 15. 30, 7 proferuntur. Quae Plinio eo maiore, credo, iure adsigno quo p. 29, 18 et 31, 2 eius nomen exstat. At dubitaverim idem de s (32, 1) et u (28, 9) vim amittentibus aeque confidenter adseverare, etiamsi posterior locus cum p. 27, 9 sqq. sane cohaeret. Quae vero hic de u et o dicuntur propter concentum artissimum cum p. 26, 16 Pliniana esse pro certo habeo. Eidemque Varronis memoriam p. 30, 15 inter Pliniana conlocatam deberi probabilissimum est, praesertim cum p. 29, 18 Plinius de voce »anceps« in testimonium vocetur. Denique non desunt quae aliunde ut Pliniana cognita in conparationem adduci possint. Confer enim

Prisc. p. 27, 1	frundes	cum Char.	130, 29
— 3	fretu		129, 6
31, 4. 10	on, um		118, 21.

Quae in universum tantummodo concinere, quia non e primario fonte hausta sunt, non est quod miremur.

De ceteris institutionum libris ad nostram quaestionem non magis interest disputare quam de reliquis Prisciani scriptis, quippe in quibus omnibus neque Caper tam continenter exscriptus sit neque Plini, qui nusquam nominatur, ulla vestigia praeter pauca ea quae hic illic in conparationem vocavi cernantur.

Ad finem igitur pervenimus. Quod supra adserui Plinii dubi sermonis libros multo saepius quam indicaretur recentioribus grammaticis pro fonte fuisse, id de duobus potissimis, Charisio et Prisciano, confirmatum esse abitror. Unde quantam etiam in grammaticis rebus auctoritatem Plinius habuerit adfatim adparet adparebitque idem etiam magis, si e reliquorum quoque grammaticorum, qui quidem in censum veniant, artibus Plinianae doctrinae reliquiae secretae erunt.

Index.

Sententiae controversae.

I. Alcmanis frg. 72 (poet. lyr. Graec. ed. Bergk, III p. 855) ita restituendum est: *Ἦσκέ τις Καφ ε ὺ ς* (*σκαφεὺς* cod.) *ἀνάσσων.*

II. Alcaei frg. 58 (poet. lyr. Graec. ed. Bergk, III p. 949): *Οὐκ* (sic cod.) *ἐγὼ Λύκον ἐν Μούσαις ἀλέγω* delendum est utpote conruptum ex Alcmanis parthenei v. 2 (ed. Blass Herm. Berol. vol. XIII a. 1878 p. 15 sqq.): *Οὐκ ἐγὼν Λύκαισον ἐγ καμοῦσιν ἀλέγω.*

III. Poetarum Aeolensium sermo non merus, sed epicae dialecti formis conmistus est.

IV. Lingua gotica â et û productis non caret.

V. Stropham lyricam MSF p. 283 exstantem Lachmann iniuria abiudicat ab Heinrico de Morungen, qui versum 1 sic panxisse existimandus est: »Hôher wunne hât uns got g e g u n t« (gedaht cod.), v. 2 qualem iam v. d. Hagen conformare conatus est (» . . . werden lie sô rehte guot«).

VI. Heinrici de Morungen carmen MSF p. 135, 9 in hoc metrum redigendum est:

troch. 4 ◡ a	bis		dactyl. ◡ ◡ 4 c	
dactyl. ◡ 4 b			troch. 5 ◡	
			dactyl. ◡ 4 c.	

VII. Carmen pseudo-walthericum IX ed. Wilmanns p. 343 ab uno solo poeta dialecto medio-theodisca conpositum est.

VIII. Studia philologica linguarum scientia conparativa fundari necesse est.

IX. Cartesii philosophia licet a scepsi orsa dogmaticam rationem relinquere nequivit, quia e placito »cogito: ergo sum«, quo nihil de qualitate causisque cogitandi contineatur, nulla rerum cognitio derivari potest.

Vita.

Hermannus Fridericus Neumann natus sum Elmshorni Holsatorum anno 1858 die VIII mensis Iunii. Fidem confiteor evangelicam. Literarum primordiis domi inbutus inde a vere a. 1872 usque ad autumnum a. 1876 gymnasium Christianeum Altonense, quod etiamnunc v. inl. Lucht auspiciis floret, frequentavi. Maturitatis testimonio instructus in literarum universitatem Gryphiswaldensem me contuli, ubi per quater sex menses philologiae studiis operam dedi. Deinde unum semestre Berolini conmoratus sum. Vere a. 1879 academiam Kiliensem adii, ubi ter sex mensibus transactis autumno proximi anni examen pro facultate docendi absolvi.

Docuerunt me vv. inll. Baier, Höfer, Kiessling, Lütjohann, Reifferscheid, Schuppe, Susemihl, Vogt, de Wilamowitz-Möllendorff Gryphiswaldenses; Harms, Kirchhoff, Scherer, Vahlen Berolinenses; Blass, Forchhammer, Klostermann, Lübbert, Pfeiffer, Pietsch, Thaulow Kilienses.

Gryphiswaldiae sodalis fui ordinarius seminarii philologici directoribus Kiessling et de Wilamowitz-Möllendorff, extraordinarius germanici moderante Reifferscheid; Kiliae sodalis ordinarius seminarii germanici regente Pfeiffer, extraordinarius philologici, cui praeerant Forchhammer et Lübbert. — Praeterea exercitationibus sancriticis ab Höfer, Aristoteleis a Susemihl, latinis a Lütjohann, germanicis a Vogt, philologicis a Kirchhoff, archaeologicis a Forchhammer, theodiscis a Pietsch institutis interesse et societatis Aristoteleae moderante Thaulow participi fieri mihi licuit.

Quibus omnibus viris doctissimis et optime de me meritis gratias ago semperque habebo quam maximas.

EMENDANDA:

p. 35 v. 14 ab imo lege clare
» 46 » 12 » » illo loco.